





Schalek sculpsit.

DELECTUS
PRECATIONUM PIARUM

PRO

DEVOTIONE PRIVATA


JUVENTUTIS

LITTERARUM STUDIOSAE.

COLLEGIT ET EDIDIT

LOTHARIUS FRANCISCUS MARX,

Philosophiae ac Ss. Theologiae Doctor.



FRANCOFURTI AD M.

TYPIS ET SUMTIBUS ANDREAE.

MDCCCXXIV.

Extractus Protocolli Archiepiscopalis Trevirensis generalis Vicariatus Limburgi ad Lahnam d. d. 17 Junii 1823.

Delectus precationum etc. etc. a Domino Consiliario ecclesiastico et Doctore LOTHARIO FRANCISCO MARX collectus nihil contra fidem orthodoxam, bonosque mores continens, sed ad pietatem et virtutem ædificans, omnibus præsertim modernis in temporibus studiosæ Juventuti recommendatur.

Ex mdto.
Ant. Aloys Cordeu
Vic. Secret.

PRECES QUOTIDIANAE.

Preces matutinae.

a) Pro singulis hebdomadae diebus.

Dum evigilas.

Diei primitias offer Deo, et in sequentes erumpe affectus.

Deus, Deus meus! ad Te de luce vigilo. — Sitivit in Te anima mea, quam multipliciter Tibi caro mea. Psalm. 62.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita saecula saeculorum, Amen.

Gloria Patri, qui creavit me: gloria Filio, qui redemit me: gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit me.

Dum surgis, crucis signum forma et dic:

In nomine Domini nostri Jesu Christi surgo, ille me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat aeternam, Amen.

Dum vestes induis.

Redde mihi, Pater aeterne, et conserva in me vestem innocentiae, quam

perdidi in peccato Adae, ne Paradiso coelesti ejiciar, Amen.

Indue me, Jesu Christe, Rex gloriae, flagrantibus virtutum Tuarum vestimentis, humilitatis et patientiae, charitatis et castimoniae; ut Patris coelestis benedictionem obtineam, Amen.

Orna me, sancte Spiritus, toga polymita et variegata donorum Tuorum, ut in oculis Tuis gratiam inveniam, Amen.

Indutus aspergas te aqua lustrali, et ante arulam domesticam flectens, magno pietatis aestu ita preceris.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

Adoro et veneror Te, o sanctissima Trinitas! Te glorifico, laudo, benedico, ac totum me ante thronum majestatis Tuae humillime prosterno. Tibi gratias ago pro universis beneficiis, ac nominatim pro hac nocte feliciter transacta. Quot, eheu! hac nocte e cubili suo ad Tuum tribunal et inferos rapti? Vivens, vivens ipse confitebitur Tibi, sicut et ego hodie. (Isai. 38.)

O Pater aeterne! ad Te primum sus-

pirium, et aestus cordis mei. Tibi me totum et omnes animae vires et corporis sensus, et omnia offero. Suscipe, mi Pater, hos novae diei primos amores, eosque incendio charitatis Filii Tui, meritisque conjunge. Quid enim mihi est in coelo? et a Te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum. (Psal. 72.)

Ecce, amantissime Jesu! Te aspirante firmiter statuo, ardenti corde viam mandatorum Tuorum currere, probi Christiani partes explere, consueta pietatis munia ritè obire, virtutem castitatis potissimum sectari; universa denique et singula in nomine Tuo et facere et pati. Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes Tuas. (Psalm. 118.)

Veni, succurre sancte Spiritus. Adeóne volens, vidensque ferocium me morsibus belluarum, id est, peccatorum objiciam? et huic praesertim vitio N. denuo me sponte ingeram? Ah nimium isthic lapsus sum! Meliora, Deus meus, meliora: Tu, precor, in hoc discrimine

vacillantem praesens robora, qui spopondisti: super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. (Psalm. 90, 13.)

Adeste mihi pariter, o beatarum agmina mentium! Tu prae reliquis, piissima Virgo Maria, cum castissimo sponso tuo, S. Josepho succurre. Tuque, mi Angele custos, vosque, o vitae meae Patroni N. N., et Sancti omnes, praesertim hac ipsa luce celebres, inopem juvate, ducite coecum et claudum. Tu vero prae omnibus aspira Deus meus et omnia: siquidem in Te, Domine, speravi, non confundar in aeternum, (Psalm. 30.)

Hic recitabis Symbolum Apostolorum, orationem dominicam et salutionem angelicam; tum te offeres B. V. Mariae et Angelo Custodi tuo sequentibus:

Commendatio ad B. M. V.

O Domina mea, sancta Maria! me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem

meum, et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem, Amen.

Ad S. Angelum Custodem.

Obsecro te, angelice spiritus, custos et tutor meus fidelis, ut in via pacis, prosperitatis et salutis te duce hodie dirigar, utque ab omni Spiritu malo, gravique tentatione defendar. Peto etiam te favente, et juvante mihi auxilium dari, ut secundum Dei voluntatem hodie vitia fugiam, praesertim N., et virtutes christianas exerceam, praesertim N. quoad tecum communi Domino in coelesti gloria laetus assistam et in aeternum serviam, Amen.

b) In die dominica.

Haec est dies, quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea! Haec est dies, memoriae Creationis, Resurrectio-

nis Jesu Christi a mortuis et Effusionis Spiritus sancti super Apostolos peculiariter dedicata. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam Tuam, Deus, tota die magnitudinem Tuam. Adhaereat lingua faucibus meis, si non meminero Tui, si non posuero Te, Omnipotens, in principio laetitiae meae.

1) Te per orbem terrarum solemniori ritu sancta hodie confitetur Ecclesia, Patrem immensae majestatis. Tu enim dixisti — et facta sunt; mandasti — et creata sunt universa. Tui sunt coeli, qui enarrant gloriam Tuam; Tua est terra, plena laudis Tuae. Tuus est dies et Tua est nox; Tu fecisti auroram et solem, lunam et stellas et terminos terrae. Aestatem et ver, aquilonem et mare Tu creasti. Tu dominaris potestati maris, motus fluctuum ejus Tu mitigas, ne transeant fines suos. Tuae sunt omnes ferae silvarum, jumenta in montibus et boves; Tu cognoscis omnia volatilia coeli, et pulchritudo agri Tua est. Omnia serviunt Tibi, pio providentiae Tuae consilio geruntur omnia.

Domine, Deus virtutum, quis similis Tibi? Domine, Deus noster, quam admirabile est nomen Tuum in universa terra! Erubescant impii, conturbentur et cognoscant, quod Tu sis solus Deus, Tu solus Altissimus.

2) Et nonne Tu Pater meus es, et auctor salutis meae et ego opus manuum Tuarum, creatus ad imaginem et similitudinem Tuam? Quid est homo, quod memor es ejus? Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera Tua; omnia subjecisti pedibus ejus, oves et boves et pecora campi, volueres coeli et pisces maris, Beatus, qui timet Te et ambulat in viis Tuis!

3) Sed homo, cum in honore esset, non intellexit, et non servavit principatum suum; dereliquit Te Deum, Creatorem suum, et similis factus est jumentis insipientibus, obscuratum est aurum; mutatus color optimus.

Et Tu, misericors Pater, naturam generis humani, mirabiliter conditam, mirabilius reformasti per Unigenitum Tuum, qui dedit semetipsum pro no-

bis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

4) Hic autem salutis nostrae restaurator post resurrectionem suam ascendens ad coelos non reliquit nos orphanos, sed promissum Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit, qui praeclarissima virtutis suae dona nobis concessit, ut per haec efficeremur divinae consortes naturae, fugientes ejus, quae in mundo est, praevaricationis corruptionem.

Quapropter profusis gaudiis, tantorum beneficiorum memor, totus in orbe terrarum mundus exultat. Et ego, communis laetitiae particeps, in conspectu Angelorum psallam Tibi, Deus; adorabo ad templum sanctum Tuum, et confitebor nomini Tuo, quia Tu refugium factus es mihi et adjutorium spei meae, liberator et protector meus.

Accipe igitur primitias cogitationum et affectuum meorum in hac die Tua. — Gratias Tibi ago, benignissime Deus, pro tot tantisque beneficiis mihi et uni-

verso generi humano collatis. Omnes facultates et vires meas Tibi consecro; ad Tui solius gloriam in simplicitate cordis mei laetus offero universa, et cui omnia debeo, totum me committo.

Beatus homo, quem Tu erudieris et legem Tuam docueris, Domine! Declinate a me, maligni; scrutabor, in primis hodie, mandata Tua. Corde bono et optimo audiam verbum Tuum, in lumine vultus Tui ambulabo, et in nomine Tuo exultabo tota die. Introibò ad Altare Dei, et in spiritu et veritate adorabo Patrem, probans, quid sit beneplacitum ipsi, et praestans omnes ingenui filii partes, amore, observantia, obedientia, ceterosque ejusdem Patris filios fraternae charitatis officio prosequens.

Omnia, quaecumque faciam, in verbo aut in opere, in nomine Domini mei Jesu Christi faciam. Adjuva, Domine, infirmitatem meam!

Pia ad Jesum oratio.

Domine Jesu, noverim me, noverim Te,
Nec aliquid cupiam nisi Te.

Oderim me et amem Te.
Omnia agam propter Te.
Humiliem me, exaltem Te.
Nihil cogitem nisi Te.
Mortificem me et vivam in Te.
Quaecunque eveniant, accipiam a Te.
Persequar me, sequar Te.
Semper optem sequi Te.
Fugiam me, confugiam ad Te:
Ut merear defendi a Te.
Timeam mihi, timeam Te.
Et sim inter electos a Te.
Obedire velim propter Te
Ad nihil afficiar nisi ad Te.
Et pauper sim propter Te.
Adspice me, ut diligam Te
Voca me, ut videam Te:
Et in aeternum fruar Te. Amen.

Praxis formandi piam intentionem.

Quam utilis sit haec praxis atque necessaria, inde colliges; quod bona intentio omnia opera utcunque levia aut de se vilia et abjecta velut inauret, et meritoria reddat coelestis gloriae; ut ita per eam possis labore eodem singulis horis et actionibus de novo coelum mereri, dum

e diverso ejus neglectus veluti vorago est omnium operum, facitque, ut assidue laborando nihilomagis ditescas, sed quasi ventum semines, unde nil nisi turbinem metas. Quare imprimis commendatum tibi habeas et familiarem reddas piae intentionis usum, tum opera singula, quantum potes, actuali intentione ad Deum referendo, tum praecipue mane te totum cum omnibus potentiis et actibus totius diei sacrosanctae Trinitati ad ejus obsequium offerendo.

Oblatio ad Ss. Trinitatem pro tota die.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, Tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad Tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera per Christum Dominum nostrum, Amen. Vel

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare Domine, Deus Rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege Tua, et in operibus mandatorum Tuorum, ut hic et in aeternum Te auxiliante salvi et liberi esse

mereamur, Salvator mundi, qui vivis et regnas in saecula saeculorum Amen.

Praxis, fructuose et pie studendi.

Preces peractas consequitur studium, praecipuus Studiosi labor, quem, ut cum fructu peragas, nunquam ad libros te confer, quin Spiritus sancti gratiam, et opem Dei ante imploraveris, et flexis quidem, si commode potes, genibus; inde enim omne lumen venire debet. Nec intermitte piam intentionem praemittere, sed omnia refer ad augendam Dei gloriam, tuam, proximorum salutem, christianae reipublicae utilitatem, ac religionis catholicae defensionem. Servient eo orationes sequentes.

Oratio Sancti Thomae Aquinatis.

Creator ineffabilis, Domine Deus ac Deus meus, qui de thesauris sapientiae Tuae novem Angelorum choros condidisti, et eos super coelum empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissime partes universi distribuisti; Tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super

intellectus mei tenebras Tuae radium claritatis, dupplices a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam, in qua natus sum. Tu, qui linguas infantium facis esse dissertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam Tuae benedictionis infundas da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem et loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum nostrum Amen. —

Alia oratio.

Nos ad altiorem vocati vitam, in nobilioribus exercemur palaestris, et ad excellentius fastigium ascendimus. Sensum autem Tuum, Domine, quis sciet, nisi Tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum Tuum de altissimis, et sic correctae sint semitae nostrae, et quae Tibi placent, discamus. —

Emitte igitur de sede magnitudinis

Tuae sapientiam illam, quae Tecum fuit, antequam quidquam facceres, a principio; antequam terra fieret, et fontes aquarum erumperent, et montes gravi mole consisterent; quae diligentes Te diligit, quam inveniunt, qui mane vigilant ad eam, cujus fructus melior est auro et lapide pretioso. Immitte illam in me, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit Tibi omni tempore.

Bonitatem, disciplinam et scientiam doce me; da intellectum, ut discam mandata Tua; adde gratiam, ut custodiam illa fideliter, ne, quae largiris, scientiae subsidia atque instrumenta virtutis, ingratus negligam, et ad gravius judicium mihi sit, scivisse, quid velis, et non fecisse. Servus enim, sciens voluntatem Tuam, Domine, et non faciens, vapulabit multis. (Luc. 12, 47.)

Alia oratio brevior.

Da mihi, Domine! sedium Tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit,

et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud Te, Domine Deus; sensum enim Tuum quis sciet? nisi Tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum Tuum de altissimo.

℣ Emitte Spiritum Tuum, et creabuntur.

℟ Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Orationes ad trinum campanae pulsum mane, meridie et vesperi.

1) Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto.
   Ave Maria.

2) Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.
   Ave Maria.

3) Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Beatus venter, qui Te portavit, et ubera, quae suxisti.

Ave Maria.

Tempore Paschali dicitur ad trinum campanae pulsum.

1) Regina coeli laetare, alleluja

Ave Maria.

2) Quia, quem meruisti portare, alleluja.

Ave Maria.

3) Resurrexit, sicut dixit, alleluja.

Ave Maria.

℣. Gaude et laetare, Virgo Maria! Alleluja.

℟. Quia surrexit Dominus vere. Alleluja.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii Tui, Domini nostri Jesu Christi, mundum laetificare dignatus es, praesta quaesumus: ut per ejus genitricem Virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia

vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

℣ Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟ Amen.

Orationes ante et post mensam.

Benedictio mensae.

Oculi omnium in Te sperant, Domine! et Tu das escam illorum, in tempore opportuno aperis Tu manum Tuam et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum, Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

Oremus.

Benedic Domine nos, et haec Tua dona, quae de Tua largitate sumus sumpturi, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratiarum actio post mensam.

Agimus Tibi gratias, omnipotens Deus pro universis beneficiis Tuis, qui

vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣ Sit nomen Domini benedictum.

℟ Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen Tuum vitam aeternam. Amen.

℣ Benedicamus Domino.

℟ Deo gratias.

℣ Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟ Amen.

Preces vespertinae.

a) Pro singulis hebdomadae diebus.

Mane nobiscum, Domine! quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies! Oratio mea fiat sicut incensum in conspectu Tuo, et elevatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum!

Tu, Omnipotens, terram fundasti, et opera manuum Tuarum sunt coeli!

Ipsi peribunt: Tu autem permanes; omnes sicut vestimentum veterascent et mutabuntur: Tu autem idem ipse es, et anni Tui non deficient. Quam magna sunt opera Tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti. Impleta est terra possessione Tua. Tu facis mirabilia magna solus; operis coelum nubibus; paras terrae pluviam; producis in montibus foenum et herbam servituti hominum; et valles abundare facis frumento. Tu judicium facis injuriam patientibus, das escam esurientibus. Tu aperis manum Tuam, et imples omne animal benedictione. Tu creasti solem, ut praeesset diei, et lunam, ut praeesset nocti; Tu per siderum flammas minuis caliginem. Nemo similis Tibi in fortibus; Tn solus mirabilis in majestate, faciens prodigia, terribilis, magnificus, fidelis, et absque ulla iniquitate. Tibi soli debetur omnis bonor et gloria. Confideantur Tibi omnia opera Tua!

Psalmus 148.

Laudate Dominum de coelis! Laudate eum in excelsis!

Laudate eum omnes Angeli ejus! Laudate eum omnes virtutes ejus!

Laudate eum sol et luna! Laudate eum omnes stellae et lumen!

Laudate eum coeli coelorum! Et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Domini;

Quia ipse dixit; et facta sunt: ipse mandavit; et creata sunt.

Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi; praeceptum posuit, et non praeteribit.

Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi!

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus,

Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri,

Bestiae et universa pecora, serpentes et volucres pennatae!

Reges terrae et omnes populi, principes et omnes judices terrae,

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Procidens adoro Te, benignissime Deus, et gratias ago Tibi, quas possum, maximas pro omnibus beneficiis, quae mihi hodie et tota vita mea tribuisti. Tu conservasti et in periculis protexisti me; Tu vitam et sanitatem, Tu non corporis tantum, sed et ingenii animique vires, hisque exeolendis aptissima subsidia dedisti mihi. Si dicebam: Motus est pes meus; si quid boni didici aut feci; si quid adversi patienter tuli, si quid mali aut funesti effugi, si jucundi quid mihi accidit: misericordia Tua, Deus, adjuvit me. Tibi omnia mea, Tibi me ipsum debeo.

Sed num digne etiam in vocatione mea ambulavi hodie?

Est via, quae videtur homini recta; sed novissima ejus ducunt ad mortem. Numquid et talis est, qua ego incessi? Spiritus sancte Deus, qui nosti abscondita cordis, et illuminas omnem hominem, ostende mihi, qua in re forte peccaverim!

(Sequitur discussio conscientiae.)

Si innocentem me asseruero: veri-

tas condemnabit me. Dum recordor negligentiarum et delictorum meorum; deficit gaudium cordis mei, remordet conscientia. Sed si confiteamur peccata nostra, fidelis es, Domine, et justus, ut remittas nobis ea, et emundes nos ab omni iniquitate. Esto igitur mihi quoque misericors Pater, et dimitte debita mea, sicut et ego dimitto debitoribus meis. Poenitet me peccasse, et displicuisse Tibi, quem super omnia amo, cupio emendare, quae minus recte feci. Miserere mei Domine! miserere mei!

Verum nisi Tu, Domine, aedificaveris domum; in vanum laborant omnes, qui aedificant eam. Fortitudo et salus nostra Tu es; ne, quaeso, derelinquas me. Faciem Tuam illustra super servum Tuum, et adauge in me cognitionem amoremque Tui et sanctificantem gratiam, ut in virtutum exercitio et christiana perfectione proficiam, et deponens veterem hominem cum actibus suis, resusciter novus homo secundum imaginem Tuam.

Tibi igitur, bone Deus, qui es omnium rerum dator ac conservator, me totum et omnia mea comitto in hac nocte, forsan illa, in qua repetes animam meam! Custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum Tuarum protege me.

Da, quaeso, ita me necessaria corporis quiete uti, ut somno refectus, et ab operibus tenebrarum immunis, pura et alacri mente evigilem, et redeam ad negotia diei, a Te, Pater, commissa mihi!

Visita habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli Tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio Tua sit super nos semper.

Protectionem quoque Tuam largire, misericors Deus, parentibus, superioribus, magistris, fratribus, cognatis et benefactoribus, amicis et inimicis nostris! Solare pauperes et captivos, afflictos recrea, sana aegrotos et moribundos, dirige peregrinantes, converte peccatores et errantes, illumina

paganos et infideles. Per Christum Dominum nostrum. Fidelium quoque defunctorum animae per misericordiam Tuam requiescant in pace.

Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo, honor sit et gloria! Amen!

Preces vespertinae breviores.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita saeculorum saecula. Amen.

Pater noster, Ave Maria. Credo.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa! Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatumMichaelemArchangelum,beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos PetrumetPaulum et omnes Sanctos orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus

et dimissis peccatis nostris perducat nos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Te lucis ante terminum
Rerum Creator poscimus;
Ut pro Tua clementia
Sis praesul et custodia.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Praesta Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.
Amen.

Salva nos, Domine! vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

℣ Custodi nos, Domine! ut pupillam oculi.

℟ Sub umbra alarum Tuarum protege nos.

℣ Dignare Domine nocte ista:
℟ Sine peccato nos custodire.
℣ Fiat misericordia Tua, Domine! super nos:
℟ Quemadmodum speravimus in Te.
℣ Domine exaudi orationem meam:
℟ Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli Tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: et benedictio Tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege et guberna, Amen.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus Amen.

Nos cum prole pia benedicat quoque Virgo Maria.

Oremus pro fidelibus defunctis.

℣ Requiem aeternam dona eis, Domine!

℟ Et lux perpetua luceat eis.

℣ Requiescant in pace

℟ Amen.

Oremus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque Tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur, qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

℣ Requiem aeternam dona eis, Domine!

℟ Et lux perpetua luceat eis.

℣ Requiescant in pace.

℟ Amen.

Intentio ante somnum.

Quietem captabo, mi Jesu! quia sic placitum est ante Te, ut vires corporis restaurem, et divino Tuo obsequio tanto aptior fiam. Quoties respiro per noctem, toties Tu, o mi Jesu! a

me sis benedictus, ut in coelis Te Seraphim benedicant et Cherubim. In Te credo, mi Jesu! in Te spero, mi Jesu! o Jesu! o mi dulcis Jesu! Te amo super omnia. Tibi vigilo, Tibi dormio, Tibi vivo, Tibi morior, amandissime Jesu!

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi vado igitur cubitum, ille me benedicat, custodiat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

In lecto.

In manus Tuas, Domine! commendo Spiritum meum. In pace cum Deo et hominibus dormiam et requiescam.

---

b) *Preces vespertinae in die dominica.*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen.

O sacrosancta Trinitas! quanta est Tua erga me huc usque bonitas et liberalitas! O Pater aeterne! gratias Tibi

ago maximas, quia me ad imaginem Tuam et ad salutem aeternam creasti et in hanc usque horam tam paterne conservasti.

Gratias Tibi summas habeo, Fili Dei! quia pretioso sanguine Tuo me redemisti et toties abluisti!

Gratias Tibi, Sancte Spiritus! quam possum, maximas refero, quia me in baptismo sanctificasti, et ad sanctam Ecclesiam catholicam perduxisti!

Infinita laus et gratiarum actio sit Tibi, santissima Trinitas! quia hodie, omnibusque momentis vitae meae ab innumeris malis me protexisti et tot beneficiis cumulasti. Quid habeo, mi Deus, quod rependam Tibi? suscipe, obsecro, omnia Jesu et Mariae merita, et cum his me ipsum, et omnia mea, in perpetuum laudis et gratitudinis holocaustum.

Ad Deum Patrem.

O Pater luminum! per charitatem Tuam aeternam erga me, obtestor Te; memoriam mihi renova, intellectum

illumina, voluntatem accende, gratiamque largire, agnoscendi, detestandi, emendandi et compensandi omnia peccata, negligentias et ingratitudines meas, quibus hodie oculos divinae Majestatis Tuae offendi, ut deinceps Tibi, tanquam obedientissimus filius per omnia placeam.

Discute mentem et fac examen conscientiae.

Percurre omnes diei horas, quando et quomodo surrexeris; an et qua ratione preces matutinas persolveris; qui te gesseris in Sacro, in concione aut exhortatione sacra, in plateis, prandio, lusu etc. An cogitatione, verbo, opere et ommissione deliqueris, ergà Deum, Parentes, Magistros, Condiscipulos, te ipsum, et omnem proximum tuum etc.

Ad Filium Dei. Contritio de peccatis venialibus tantum.

O Jesu, o Salvator mi! quam ingratum me tot ac tantis Tuis beneficiis exhibui! quot nobilissimas horas male impendi! quot meriti aeterni occasiones neglexi! quot peccata venialia denuo admisi, quorum ne vel unicum pro totius mundi lucro admittendum foret. Damno ac detestor negligentiam, malitiamque meam, et doleo, quod ani-

mam meam tot naevis quamvis venialibus tantum macularim, oculisque Tuis divinis, ingratam, foedamque reddiderim. Doleo deinde, mi Jesu! quod iisdem graves hujus vitae poenas incurrerim et promeruerim supplicia ignis purgatorii, qui tamen gravior erit, quam quidquid homo potest pati in hac vita. Maxime vero doleo, de his N. N. et omnibus peccatis meis, quia haec displicent infinitae sanctitati Tuae; quia offendunt summam bonitatem Tuam, cui millies teneor quam perfectissime servire, et omnia displicentia pro viribus evitare. (S. August. in Ps. 37.)

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei; quia iniquitatem meam ego cognosco, et ex intimo corde doleo, quod Te Deum summum et unicum bonum meum unquam offenderim.

Contritio de peccatis mortalibus.

Si peccatum lethale illo die admiseris, (quod Deus avertat) sequentem contritionis actum ferventissime subjunge:

Ecce, mi Jesu! ego, ego sum ingratissima illa creatura, tanto a Te

sanguinis profluvio redempta, et tamen tanta scelera rependi, mandata Tua sprevi, et pedibus conculcavi. O quam doleo sic Te laesam; o infinita Majestas!

Ego sum filius ille prodigus, qui coelum, et dona divinae gratiae turpiter prodegi. Quam confundor, o immensa charitas!

Ego sum ovis illa perdita, quae pastorem suum deseruit, et sese in fauces Lupi infernalis conjecit. Quam detestor malitiam et insaniam meam, o incomprehensa bonitas! Tibi soli peccavi, et malum coram Te feci: hinc doleo et gemo, non tam, quod peccatis meis poenas aeternas meruerim (quod terribilium omnium terribilissimum est), nec quod regnum coeleste pro re nihili perdiderim (quod damnum super omne damnum est) sed ideo pure ex toto corde doleo, quia cor Dei mei contristavi, quia Te offendi, qui es Redemptor meus, et summus meus benefactor; quia peccavi Tibi, qui es Tibi ipsi et mihi summum bonum.

O Jesu! esto mihi Jesus! id est, Salvator, et salva me! Id peto per lacrymas Tuas, per sudorem et sanguinem Tuum et per cor dulcissimum Matris Tuae. Amen.

Ad Spiritum sanctum.

O sancte Spiritus! Deus cordis mei! abrenuncio et detestor coram Te omnia peccata mea, et si, quae feci, adhuc facienda forent, non facerem ea in acternum. Malo millies sanguinem profundere et omnia perdere, quam vel unico peccato deinceps consentire, et infinitam Dei mei Majestatem offendere. Hoc praesertim peccatum N., quod gravius Te offendit, omni possibili modo, o mi Deus! cavebo. Sed unde mihi vires, proposita haec exequendi? Novi fragilitatem meam, et naturae corruptae instabilitatem: velle quidem adjacet mihi, sed perficere non invenio.

Ad Te igitur confugio, o Spiritus Divine! unica spes et robur animae meae. Omnia possum in Te, si Tu me confortes. Statuo omnia peccata mea cum

gratia Tua corrigere, pravos socios et peccandi occasiones velut pestes fugere, inimicis offensam remittere. Corrobora me, o Spiritus fortitudinis, et qui dedisti velle, da perficere, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc. Credo etc.

Tum commendabis te Deo, dicendo:

Salve nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

℣ Custodi nos, Domine, ut pupillum oculi.

℟ Sub umbra alarum Tuarum protege nos.

O r e m u s.

Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli Tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio Tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

℣ Requiem aeternam dona eis, Domine!

℟ Et lux perpetua luceat eis,

℣ Requiescant in pace.
℟ Amen.

Antiphonae in honorem beatae Mariae Virginis.

A vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus usque ad Purificationem inclusive dicitur:

Antiphona.

Alma Redemptoris mater, quae pervia coeli
Porta manes et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu, quae genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In Adventu

℣ Angelus Domini nuntiavit Mariae
℟ Et concepit de Spiritu sancto.

Oremus

Gratiam Tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui An-

gelo nuntiante, Christi, filii Tui, incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

A primis Vesperis Nativitatis et deinceps.

℣ Post partum Virgo inviolata permansisti

℞ Dei genitrix intercede pro nobis.

O r e m u s.

Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate fecunda, humano generi praemia praestitisti, tribue quaesumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum, filium Tuum. Amen.

Post Purificationem, id est, a fine Completorii illius diei (2 Febr.) usque ad feriam quintam in Coena Domini exclusive dicitur Antiphona:

Ave Regina coelorum,
Ave Domina Angelorum,
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude, Virgo gloriosa
Super omnes speciosa:

Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut, qui sanctae Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

A Completorio Sabbati sancti usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusive, dicitur Antiphona:

Regina coeli laetare, alleluja,
Quia, quem meruisti portare, alleluja,
Resurrexit, sicut dixit, alleluja,
Ora pro nobis Deum. Alleluja.

℣. Gaude et laetare, virgo Maria, alleluja,

℟. Quia surrexit Dominus vere alleluja.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii Tui, Domini nostri Jesu Christi, mun-

dum laetificare dignatus es; praesta quaesumus; ut per ejus genitricem, virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

A primis vesperis festi Ss. Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adventum dicitur Antiphona sequens:

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii Tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti; da, ut cujus

commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Pia suspiria, dum noctu evigilas.

Evigilans mox mentem ad Deum eleva, ut cum Davide possis dicere: "Memor fui nocte nominis Tui, Domine! et hujusmodi affectus elice:

1) Laudate Dominum de coelis! laudate eum in excelsis! Laudate eum omnes virtutes ejus! Laudate eum Reges terrae et omnes populi, principes et omnes judices terrae. Juvenes et Virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius. (Ps. 148.) Vel

2) Benedicite noctes et dies Domino, benedicite lux et tenebrae Domino. Vel

3) O quot Religiosorum millia, media nocte surgebant et surgunt adhuc ad confitendum Domino, et ego in plumis jaceo. Gaudeo ex animo, mi Deus, Te laudari; particeps ego sim omnium timentium Te! Vel

4) O quot homines hac nocte mortem oppetunt, utinam felicem! Omnipotens, faustam donet morientibus horam! Vel

5) Si tam molestum est, modicum sine somno jacere in plumis, quam grave erit, aeternum jacere in prunis!

Orationes ad horae sonum. *)

Ad horae sonum recita 1) salutationem angelicam. Subjunge:

O Deus! propitius esto mihi peccatori!

---

*) Omnibus salutationem Angelicam ad horae sonum recitantibus Urbanus IV. indulgentiam 30 dierum concessit, quam Joannes XXII. confirmavit, et duplicavit. Leo X. autem indulgentiam mille dierum tribuit. et Paulus V. stabilivit. Pius VII. omnibus fidelibus ad horae sonum recitantibus unum Pater et Ave pro refrigerio animarum in Purgatorio detentarum concessit indulgentiam centum dierum.

2) *Precare vivis horam felicem, dicendo:*

Omnipotens faustam donet mortalibus horam.

3) *Precare defunctis requiem sempiternam:*

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Pro conservanda morum castitate et innocentia.

Meditatio.

«Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.» Matth. 5. — «Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et Dei. Nolite ergo communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite: ut filii lucis ambulate.» Ephes. 5.

«An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Emti enim estis pretio magno.

Glorificate et portate Deum in corpore vestro.» 1. Cor. 4.

«Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit; sive bonum, sive malum.» 2 Cor. 5.

«Si enim secundum carnem vixeritis; moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.» Rom. 8.

«Igitur non dormiamus, sicut et caeteri; sed vigilemus et sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis et galeam, spem salutis.» 1. Thessal. 5.

Oratio.

Deus sanctissime! Haec et similia meditanda nobis et tenenda proponis. Etenim voluntas Tua est, ut et nos sancti simus, ut sciat unusquisque corpus suum possidere in honore, non in pravis desideriis, sicut gentes, quae ignorant Te; ut legitime certantes et strenue currentes in hoc stadio, omnibus, quae cursum impediunt, abstineamus, accepturi co-

ronam justitiae, quam reddes in illa die, justus judex, diligentibus Te.

Sed sensus et cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua; et video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Quis in pugna adeo gravi atque ancipiti auxilium feret mihi, nisi Tu, Omnipotens, in quo vivimus, movemur et sumus, qui pascis me a juventute mea, et das spiritum bonum petentibus Te? Hinc supplex rogo, indue me virtute ex alto; et quia tot et tanta inter pericula arbiter mei per aetatem esse non possum: Tu adjutor fortis adsiste, et scuto fidei et gratiae Tuae protege titubantem, ne in tentatione succumbam, ne dominetur mei libido turpis, et amittam libertatem atque pacem animae meae.

Domine Jesu, qui imperasti ventis et mari, tumentes concupiscentiae fluctus, quibus jactor incautus ego et invalidus, compesce; ut fiat tranquillitas magna in corde meo. Tu, qui coecis visum, claudis gressum, munditiem leprosis restituisti, et complexans pueros, eisque

manus imponens dixisti: Sinite parvulos venire ad me, et ne contemnatis unum ex his pusillis; quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei; ecce, venio ad Te; cum fiducia filiali ad benignitatem et humanitatem Tuam confugio, castarum amator mentium! — Ne, quaeso, derelinquas me. Illumina oculos et dirige gressus meos, ne pravae voluptatis laquei me comprehendant, dolosis suppositi illecebris. Confige timore Tuo carnes méas, et cor mundum crea in me, ut principiis mali obstans juvenilia desideria fugiam, quae laboris et verae sapientiae nos incapaces reddunt, atque in interitum mergunt et perditionem.

Mitte angelos Tuos, ut custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum; et Spiritus ille sanctus, quem doctorem post Te et consolatorem fidelibus Tuis promisisti, habitet in me, tanquam in templo vivo, quod vel levissimo peccato profanare timeam, et tota mente contremiscam.

Te protectorem meum, Deus, atque testem ubique praesentem cogitans, jam nunc in parvis probabo conflictibus, quam viriliter stare possim in majori certamine, et erigetur animus conscientia recte facti, et proficiam, ut aetate, ita sapientia et gratia apud Deum et homines. Amen.

Meditationes breves in singulos dies mensis distributae.

1.
Necessitas salutis.

Debeo servare animam meam:

1) Quia est immortalis, nec habeo quidquam illa pretiosius.
2) Quia est mea: nihil habeo illa charius.
3) Quia est unica: hac amissa ex parte mea, perdita sunt omnia.

2.
Incertitudo mortis.

Lata est sententia, moriendum mihi est.

1) Sed tempus me latet, mori possum hac hora.

2) Sed locum nescio, possum mori illa vel ista occasione.

3) Sed modum nescio: possum mori in illo peccato. Qualis est fides mea? haerere in peccato, aut occassione qualibet hora, imo momento, sine solicitudine, sine anxietate?

3.

A morte judicium.

1) Post mortem, quo ibo? ad Tribunal.

2) Quis me judicabit? Deus, qui omnia vidit, omnia audivit, omnia rescíit. Testis vitae meae judex mihi erit.

3) Quid respondebo? Nulli excusationi, nullis precibus, nulli appellationi locus est.

4) Quae contra me feretur sententia? Aut vitae aeternae, aut mortis aeternae. Et sine metu vivo?

4.

Damnatio aeterna.

Quid est damnari?

1) Est perdere Deum et perdere eum pro omni tempore.

2) Est ardere in igne, et ardere semper.

3) Est desperare frustra, et desperare pro omni tempore.

Et ego, ne nunc me poeniteat, poenitere volo per totam aeternitatem?

5.

Status damnatorum.

Quid faciunt damnati in inferno?

1) Cognoscunt malitiam peccati, quam non estimarunt in vita.

2) Patiuntur poenam peccati, quam in vita non curarunt.

3) Maledicunt occasioni peccati, quam in vita non fugerunt.

O miseram vitam peccatoris hic infelicis!

6.

Poenae Peccati.

Deus punit unum solum peccatum.

1) Ob unum solum peccatum ejecit Luciferum cum sequacibus e coelo.

2) Ob unum solum peccatum damnavit Adamum et nos omnes ad mortem.
3) Ob unum solum peccatum damnat tam multas animas ad infernum. Et ego cum tot peccatis nullam poenam timeo?

7.

Inimicitia Peccati.

Multos inimicos habeo; en maximum, peccatum meum.

1) Hoc me ipsi Deo exosum facit.
2) Hoc me vexat perpetuis remorsibus.
3) Hoc me tandem mala morte auferet.

Quae calamitas, illud semper mecum circumferre!

8.

Ultimus finis.

Natus sum, ut salvus fiam.

1) Pater divinus e nihilo fecit me propter coelum.
2) Dei Filius redemit me perditum.
3) Spiritus sanctus me juvat ad obtinendam salutem.

Hanc, si amitto, mea culpa amitto.

9.

Momentum salutis.

1) Salus mea negotium meum est. Si hanc ego non curo, quis pro me illam curabit?

2) Hoc negotium est de me toto, de anima mea, de meo corpore. Hoc, si in tuto non repono, quis illud pro me reponet?

3) Est negotium de me toto per totam aeternitatem. Si ego illud non conficio, quis illud pro me conficiet? Magna coecitas, tractare de omnibus et non de me.

10.

Pretium inspirationum.

1) Pretium bonarum inspirationum non est minus, quam ipse sanguis Filii Dei.

2) Tantum mihi prosunt, quantum mea salus.

3) Tantum valet eas repellere, quantum est periculum, ne redeant.

Ego, si semper illas rejicio, an salutem consequar?

11.

Peccatum mortale.

1) Peccatum mortale est vera injuria altissimi creatoris mei, Redemptoris mei, ultimi finis mei.
2) Est injuria illata a me, vili creatura, summo bono, in oculis semper praesentis Dei.
3) Est injuria illi illata, contra ipsum vertendo potentias animae, sensus corporis, et bona ab ipso accepta.
4) Est injuria semper illi illata ad explenda mea desideria nullius momenti.

Tam gravium injuriarum nondum me poenitet?

12.

Stimuli ad poenitendum.

1) Peccata mea exigunt veram poenitentiam: quando illam agam?
2) Post mortem agi non potest: non est tempus amplius.
3) In morte est dificillima; parum est temporis.

4) Tali tempore, sed quali? nullum tempus est in mea potestate. Aut sine mora facienda est, aut sine mora timendum, ne unquam fiat.

13.

Mortis vultus duplex.

1) Quam terribili morte defunguntur peccatores! moriuntur damnati.
2) Quam pulchra morte defunguntur justi! moriuntur salvi.
3) Ego aut hac, aut illa morte defungar.
4) Optio penes me est.

14.

Deus et mundus.

1) Nihil mali mihi fecit Deus, solum bona ab ipso sunt.
2) Mundus parum boni et multum mali.
3) Quam monstrosa res, vivendo servire mundo et non Deo, et subinde moriendo perdere mundum et Deum.

15.

Praeparatio ad mortem.

1) Si sapio, quid unquam commisi mali, quod mihi modo non displiceat?

2) Quod opus bonum unquam feci, quod mihi nunc non sit solatio?
3) Quodnam e malis est, quod mihi non sit displiciturum, quodnam e bonis, quod in morte non sit etiam tum placiturum?
4) Quid ergo me par est facere? Id, quod illa hora certo optabo fecisse. Id, quod verosimiliter illa hora facere non potero, et tamen necessario illa hora deberem facere.

16.
Pretium temporis.

1) Quantum boni possum facere hac die?
2) Abit haec dies nunquam reditura.
3) Reddenda est ratio de hac die exacta. Vae mihi! si illam impendam male.

17.
Judicium vitae.

1) Formatur contra me judicium, quod legetur aliquando.
2) Legetur omne malum, quod feci, et tamen debebam non facere.

4) Feretur de me sententia, et qualis? qualem nunc volo, et propria manu exaro.

18.

Necessitas poenitentiae.

1) Peccavi. Factum igitur decretum est: aut poenitere, aut damnari debeo.
2) In inferno certo aeternum dare poenas debeo.
3) Poenitentiam aeterna felicitas certo consequitur.
4) Penes me est electio, utrum horum amplectar?

19.

Domus aeternitatis.

1) Ibit omnis homo in domum aeternitatis suae: ipse sibi eam in vita aedificat.
2) Daemon tantillae voluptatis impendio me invitat ad illam aedificandam in inferno, et ego invitanti pareo.

3) Deus modici laboris impendio me invitat ad illam aedificandam in coelo; et ego invitantem non audio.

Consentio igitur in id, quod mihi est deterius; reprobo id, quod est melius.

20.

Deus in cruce.

1) Magnum mysterium est Deus crucifixus.
2) Magnus amor, Deus pro me in crucem actus.
3) Magna ingratitudo, quod de hoc non cogitem, nec vicissim amem.

21.

Beneficia Dei.

1) Multas mihi gratias contulit Deus.
2) Multo plures in me contulisset, nisi me iis reddidissem indignum.
3) Plurimas deinceps in me conferre paratus est.
4) Quam gratus sum pro acceptis?
5) Quis mihi sensus de amissis?
6) Quam curam gero de accipiendis?

22.

Consequentia ad peccatum.

1) Peccavi, et in infernum non sum detrusus: o quanta haec miseratio?
2) Peccavi, et de remisso peccato certus non sum, quanta haec incertitudo?
3) Peccavi, et poenitentiam non egi: quam haec stolida temeritas?

23.

Poenitentiae procrastinatio.

Vivo ut peccator confidentia futurae conversionis, quis me de tribus securum reddit:

1) Quod habiturus sim tempus, me convertendi?
2) Quod, si habiturus sum, illo recte sim usurus?
3) Quod si convertar, non sim relapsurus et damnandus?

24.

Causae peccati.

1) Ad peccandum natura me inclinat, tentationes impellunt, occasiones inducunt.

2) Naturam corrigit gratia: cur hujus augmentum non procuro?
3) Tentationes superantur Dei adjutorio: cur ad illum non confugio?
4) Occasiones vitari possunt: cur hoc animo obfirmato non facio?

25.

Astutia mali daemonis.

1) Ut peccem, diabolus mihi abscondit peccatum: ut iterum peccem, abscondit occasiones.
2) Abscondit peccatum, quia incipit ab eo, quod malum non est; postea prosequitur cum parvo malo, deinde intrat cum magno malo.
3) Abscondit occasiones; quia facit, ne occasiones existimem, quae in se malae non sunt, sunt tamen malae pro me.
4) Facit, ut non existimem peccaminosas, et hinc in illas denuo me immittam.
5) Facit, ut redeundo relabar.

Si ergo peccare nolo, non satis est vitare occasiones, quas cognosco; fu-

giendae mihi etiam illae sunt, quas nolo cognoscere.

26.

Deus remunerator

1) Dei scientia infinita est, videt actu, quidquid facio boni et quidquid mali.
2) Est infinitae potentiae, potest punire confestim omne meum peccatum.
3) Est infinitae justitiae, remuneratur certe bonum, punit malum.

Quomodo igitur spero praemium, si bonum non ago? quomodo poenam non timeo, si malum operor?

27.

Imitatio Christi Jesu.

1) Christus natus est, sed in stabulo.
2) Christus vixit, sed inter incommoda.
3) Christus mortuus est, sed in cruce.
4) Multum passus est nascendo.
5) Plus passus est vivendo.
6) Summe passus est moriendo.

Pati necesse est, si Jesum imitari volo; si pati volo, tolerare debeo adversa occurrentia.

28.

Damna Peccati.

1) Unum solum peccatum mortale destruit, quidquid meritorum bonorum ante illud admissum collegi.
2) Facit, ut nullo praemio digna sint, quaecunque post peccatum admissum fiunt.
3) Debiliorem me reddit ad operandum bene etiam post actam poenitentiam.

Nulla re tantum mihi nocere possum, quantum peccando.

29.

Confessio damnati.

1) Si damnor, quid dicam? Dicam, quod fides me constituerit in via ad coelum; quod est beneficium in me collatum, negatum tam multis aliis.
2) Dicam quod inspirationes me impulerint ad coelum: gratiae collatae in me, non in tam multos alios.
3) Dicam, quod sim damnatus, quia volui damnari.

Volo ergo damnari? Non. Ego fidem

sequi debeo: ergo obedire inspirationibus.

30.

Obedientia Deo exhibenda.

1) Quanto mihi constabit obedire Deo? Modico labore, vitae tempore definito.
2) Non obedire Deo, quanto mihi constabit? Poena multo longiore, quam vita duratura sit.

Ah! plus ego patiar non obediendo, quam obediendo magno nostro Deo.

31.

Responsa conscientiae.

Interrogo conscientiam meam, et volo ut mihi respondeat.

1) Quando vixi in gratia Dei, fuine contentus? Ita.
2) Postquam admisi peccatum, fuine tranquillus? Non.

En igitur felicitas mea, gratia tua est, o Deus meus!

Preces quotidianae ad impetrandam bonam mortem.

Moriturum me certo scio. At quando? ubi? quomodo? prorsus ignoro.

Terra sum, et in pulverem et terram convertetur caro mea.

Immortalis sum animo et spiritu, et ibo carne solutus in domum aeternitatis meae. O aeternitas interminabilis! O mortis ultimum punctum, a quo dependet aeterna aeternitas!

Tu solus vitae meae Dominus et Deus es: vivere et hodie non recuso; sed vitam nolo, si Tibi et Tuis obsequiis vitam meam omnem non impendam. Si me mori vel hodie jubes, mortem non recuso: moriar, ut Te videam; moriar Tecum, ut in aeternum vivam. Ah fiat in me, de me, circa me, et circa mea omnia, sanctissima voluntas Tua in tempore et in aeternitate!

Paratum cor meum, Deus! paratum cor meum. Domine, quid me vis fa-

cere? Domine, quid me vis pati? Domine, quid me vis fieri? Resignationibus nostris quaesumus, Domine, placare susceptis, et ad Te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.

Doleo, et toto corde doleo, quod Te offenderim Deum meum, quia bonus es, sanctus es, amor meus es, Deus meus es.

Absorbeat, quaeso Domine, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris Tui, ab omnibus, ab omnibus, ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris Tui vivam, et amore amoris Tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es Deus, factus homo, vivere et mori.

Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima anima Tua egressa est de benedicto corpore Tuo, deprecor Te, miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen.

Libera nos Domine morientes.

A subitanea et improvisa morte,
A mala morte,
Ab omni peccato,
Ab insidiis diaboli,
Ab omni terrore et formidine,
A diffidentiae et desperationis tentatione,
A spiritu praesumptionis,
A cordis duritie,
Ab ira tua,
A potestate diaboli,
A poenis inferni,
Ab omni mundi, sanguinis et carnis illecebra,

Concede nobis Dne morientibus

Susceptionem Sacramentorum,
Abundantiam divinae gratiae tuae,
Perfectam contritionem,
Firmam spem, et certissimam fidem,
Ardentem charitatem,
Patientiam et tolerantiam inter dolores,
Fortitudinem contra diabolicos incursus,
Perfectam cum Tua voluntate conformitatem,

Secundum magnam misericordiam Tuam.

Concede nob. Due morientibus

Desiderium ardentissimum videndi Deum,
Protectionem B. Mariae semper Virginis, Angelorum custodiam et Sanctorum omnium intercessionem,
Sacerdotum orationes et auxilium,

Secundum magnam misericordiam Tuam.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, per sanctam incarnationem Tuam,
Per sanctam Nativitatem Tuam,
Per Baptismum et sanctum jejunium Tuum,
Per sanctam et laboriosam vitam Tuam,
Per famem, sitem et vigilias Tuas,
Per exclamationes et suspiria Tua,
Per amarissimas lacrymas Tuas,
Per maximos cordis Tui pavores et dolores,
Per sanguineum sudorem Tuum,
Per manuum Tuarum colligationes,
Per opprobria, alapas et ludibria Tua,
Per acerbissimas flagellorum plagas,

Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Per spineam coronam Tuam,
Per sacratissimas sanguinis effusiones,
Per sanctam Crucem et Passionem Tuam,
Per fel et acetum a Te gustatum,
Per quinque vulnera Tua,
Per sanctum agoniam Tuam,
Per animam Tuam sanctissimam in manus Patris commendatam, et pro redemptione mundi a corpore separatam,
Per mortem et sepulturam Tuam,

} Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus:
Sancta Trinitas unus Deus,
Per viscera misericordiae Tuae,
Per merita et intercessionem Virginis et Matris Mariae,
Per intercessionem sanctorum Angelorum et Archangelorum,
Per merita et intercessionem sanctorum Apostolorum et Evangelistarum,
Per merita et intercessionem sanctorum et sanctarum Martyrum,

} Moriatur anima nostra morte justorum.

Per merita et intercessionem sanctorum Pontificum et Confessorum, moriatur anima nostra morte justorum.

Per merita et intercessionem sanctorum Doctorum, Moriatur.

Per merita et intercessionem sanctorum Monachorum et Eremitarum, Moriatur.

Per merita et intercessionem sanctorum Sacerdotum et Levitarum, Moriatur.

Per merita et intercessionem sanctarum Virginum et Viduarum, Moriatur.

Sancte Michael Archangele, Angeli nostri custodes, et omnes sancti beatorum Spirituum Ordines, et vos beatissimi Patroni nostri N. N. N. defendite nos in praelio, ut non pereamus in tremendo Judicio.

Tuque, o Maria, Mater et Virgo, Mater admirabilis, Consolatrix afflictorum, et Regina Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut spiritus noster absque ulla peccati macula et poenae reatu mereatur a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci. Amen, Amen, Amen.

PRECES PRO SACROSANCTAE MISSAE SACRIFICIO.

Praemonitio.

Unum e praecipuis christianae pietatis officiis est, sacrosancto Missae sacrificio frequenter et devote assistere. Imprimis ergo excita te ipsum ad attentionem et reverentiam, consideratione divinae Majestatis, ubique quidem, sed hic maxime praesentis.

Deinde forma intentionem, offerendi hoc Sacrosanctum et unicum legis novae Sacrificium divinae Majestati una cum sacerdote; et per manus alienas, siquidem non licet per proprias. Ita hoc sacrificium tuum quoque facies. Intentiones porro, sive fines, ad quos dirigi potest hoc sacrificium, potissimum quatuor numerantur. Est enim primo Latrevticum, seu holocaustum, offerendum Deo in agnitionem supremi ejus dominii, et tanquam summus cultus supremae Majestati ejus debitus. Secundo est Eucharisticum, seu pacificum, offerendum Deo in gratiarum actionem pro innumeris ejus beneficiis. Tertio est Propitiatorium, offerendum Deo pro peccatis. Quarto est Impetratorium, offerendum Deo ad impetranda bona corporis et animae, et avertenda quaecunque mala, idque pro nobismetipris, amicis et inimicis, justis et peccatoribus, vivis et defunctis.

Templum ingressus, et aqua lustrali aspersus, genuflectens mox adora Christum in Venerabili Sacramento, dicens:

Adoro Te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia Te contemplans totum deficit.

Intentio ante sacrum.

«**Ante orationem praepara animam tuam et noli esse, quasi homo, qui tentat Deum.**» (Ecclesiastici 18, 23.)

Domine Deus, ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam, ut imminenti Sacrificio, qua par est, reverentia et devotione intersim, illudque una cum sacerdote divinae Majestati Tuae gratiose offeram:

1) Ad majorem Tui nominis gloriam et honorem, cui soli hoc sacrificium debetur.

2) In memoriam passionis et mortis Tuae, quam ad hujus sacrificii usum fieri praecepisti.

3) In gratiarum actionem pro omnibus mihi collatis beneficiis.

4) In satisfactionem omnium mearum culparum ac poenarum, quas sanctissimo sanguini Tuo in hoc sacrificio immergo.

5) Ad impetrandam gratiam Tuam et opem in ista re. . . . . .

6) Pro charissimis Parentibus, amicis et benefactoribus, maxime istis. . . .

7) Pro fidelibus defunctis, potissimum istis. . . .

Placeat Tibi, Domine! haec intentio mea et exaudi me. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces ad sacrificium Missae.

S. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen.
Introibo ad Altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Judica me Deus et discerne causam meam do gente non sancta ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia Tu es Deus, fortitudo mea, quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem Tuam et veritatem Tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum Tuum et in tabernacula Tua.

M. Et introibo ad altare Dei; ad Deum qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor Tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis et anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

S. Introibo ad Altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti etc.

M. Misereatur tui, omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te in vitam aeternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semperVirgini, beato Michaeli Archangelo, beato JoanniBaptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi Pater! quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et te, pater! orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri etc.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus, Tu conversus vivificabis nos.
M. Et plebs Tua laetabitur in Te.
S. Ostende nobis, Domine! misericordiam Tuam.
M. Et salutare Tuum da nobis.
S. Domine exaudi orationem meam.
M. Et clamor meus ad Te veniat.
S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedicta sit sanctissima Trinitas atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobis misericordiam suam.

Gloria Patri, qui creavit nos,
Gloria Filio, qui redemit nos,

Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos. Gloria summae et individuae Trinitati, Deo nostro, in saecula saeculorum. Amen.

S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleison. M. Christe eleison.
S. Christe eleison. M. Christe eleison.
S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleison.

Gloria in excelsis Deo,*) et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus Te. Benedicimus Te. Adoramus Te. Glorificamus Te. Gratias agimus Tibi propter magnam gloriam Tuam, Domine Deus, Rex coelestis, Deus, pater omnipotens, Domine, Fili unigenite, Jesu Christe! Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Ad collectas, epistolam et graduale.

Exaudi Deus, preces Ecclesiae Tuae sanctae, Tibi in nomine dilectissimi Fi-

*) Omittitur hic hymnus a Dominica prima Adventus usque ad nativitatem Domini, nisi in festis, et a dominica in septuagesima usque ad Pascha, exceptis feria quinta in coena Domini et sabbato sancto, et quando dicitur missa pro defunctis. Tandem semper omittitur, quando non dicitur a sacerdote celebrante.

lii Tui, Domini nostri Jesu Christi, humiliter supplicantis, ut Tuam nobis dexteram porrigas, quae omnia mala avertat, et in Tua nos gratia confirmet. Amen.

Actus Fidei.

Credo, Domine Deus, quidquid per Scripturam, unigenitumque Filium Tuum, Dominum nostrum, Jesum Christum, et sanctos Apostolos revelasti, mihique per Ecclesiam Tuam, quae columna est, et firmamentum veritatis, credendum proposuisti. In hac catholica fide per Tuam gratiam vivere et mori statuo. Amen.

Actus Spei.

In Te, benignissime Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, omnem spem meam ac fiduciam meam repono. Magna quidem et multa sunt delicta mea, Tua tamen infinities major est bonitas, quae non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: hac Tua immensa bonitate fretus, remissionem omnium peccatorum, et vi-

tam aeternam me consecuturum plane confido.

Actus Charitatis.

Quis Te non amet, amantissime Deus, qui in charitate perpetua dilexisti nos, Filiumque Tuum unigenitum dedisti pro nobis. Quando, mi Deus, veniam, et apparebo ante faciem Tuam, cupitisque complexibus Tuis aeternum fruar? Amen.

Ad Evangelium.

Domine Jesu, qui ex voluntate Patris Tui laetum mundo Evangelium annuntiasti, da gratiam, ut illud intellectu magis, magisque percipiam, voluntate amplectar, memoria conservem, opere compleam, et gregi electarum ovium Tuarum. quae vocem Tuam audiunt, ita hic associer, ut eidem in novissimo die ad dexteram Tuam conjunctus, audire merear: Venite benedicti.

Ad Credo.*)

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visi-

*) Omittitur, quoties non dicitur a sacerdote celebrante.

bilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem

mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Ad Offertorium:

O Pater aeterne, qui sanctissimum hoc novae Legis sacrificium, quo unigenitus Filius Tibi offeretur, institui voluisti, hunc et ego divinae Majestati Tuae, meque in ejusdem unione offero cum omnibus, quae a Tua bonitate mihi sunt concessa: respice in me et miserere mei. Amen

Ad Orate Fratres.

Suscipiat Dominus hoc Sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

Oratio
ad Christum Jesum, super singulos ejus Passionis articulos.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter

offeri, falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari; Tu Domine, per has sanctissimas poenas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem Tuam, libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem Tecum crucifixum, ac concede, ut sacrificium, quod Sacerdos Tibi offert, et mihi sit in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.

Ad Praefationem.

Sursum corda: Habemus ad Dominum: Gratias agamus Domino Deo nostro: Dignum et justum est: Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem

Majestatem Tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Coeli, coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant: cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt coeli et terra gloria Tua: Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Oratio ad Memento,
seu ad memoriam pro vivis.

O amantissime Jesu! In vulnus dexterae manus Tuae commendo Tibi summum Pontificem, Episcopos et Ecclesiae Tuae Rectores. In vulnus sinistrae manus Tuae commendo Tibi Patriae meae Patrem omnesque principes christianos. In vulnus dexteri pedis commendo Tibi Parentes, Fratres, Sorores, Cognatos et Benefactores meos. In vulnus pedis sinistri commendo Tibi Ethnicos, Haereticos et Peccatores. In vulnus sacra-

tissimi lateris Tui commendo Tibi, o Jesu! corpus et animam meam. Et per dolorem et sanguinem horum vulnerum Te oro, atque obtestor, ut mihi et praedictis omnibus gratiam copiosam, charitatem perfectam et aeternam felicitatem largiri digneris. Amen.

Ad Elevationem.

Adoro Te, mi Domine Jesu Christe! et benedico Tibi, quia per sanctam crucem Tuam redemisti mundum et me. Amen.

Adoro Te, sanguis Domini mei Jesu Christi, qui effusus es in cruce ad salvandum peccatores et me. Amen.

Post Elevationem.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Adoro Te devote latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas!
Tibi se cor meum totum subjicit;
Quia Te contemplans totum deficit.
Visus, Gustus, Tactus in Te fallitur:
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nil hoc verbo veritatis verius.

Cruce latebat sola Deitas;
Sed hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen eredens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.
Plagas sicut Thomas non intueor;
Deum tamen meum Te confiteor.
Fac me Tibi semper magis credere,
In Te spem habere, Te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus vitam praestans homini!
Praesta meae menti de Te vivere,
Teque illi semper dulce sapere.
Pie Pelicane, Jesu Domine!
Me immundum munda Tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum potest omni scelere.
Jesu! quem velatum nunc adspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Ut Te revelata cernens facie
Visu sim beatus Tuae gloriae.

Ad Memento pro defunctis.

Memento, quaesumus Domine, famulorum famularumque Tuarum N. N. qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine! et omnibus in Christo quiescentibus lo-

cum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur.

Nobis quoque peccatoribus, famulis Tuis de multitudine miserationum Tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum Tuis Sanctis omnibus, intra quorum nos, Domine! consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Orationem Dominicam
recita cum sacerdote. Pater noster.

Perge cum eodem sacerdote:

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper Virgine, Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis Tuis Petro et Paulo, atque Andrea et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris; ut ope misericordiae Tuae adjuti et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pax Domini sit semper nobiscum. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis, et dona nobis pacem!

Credo in Te, o aeterna veritas!

Spero in Te, o infinita misericordia!

Amo Te, o summum bonum!

Ad Communionem.

Domine Jesu Christo, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem Tuam mundum vivificasti! Libera me per hoc sacro sanctum corpus et sanguinem Tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis et fac me Tuis semper inhaerere mandatis, et a Te nunquam separari permittas, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Dic deinde ter cum Sacerdote:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, et sanabitur anima mea.

Dum Sacerdos sacram sumit hostiam, et tu desiderium sumendi, teque Christo Domino uniendi renova corde ferventi tamen suspirans dic:

Recedo, Domine! quia homo peccator sum, sed fac me dignum, ut Te proxime sumere, meque Tibi unire possim.

Anima Christi, sanctifica me,
Corpus Christi, salva me,
Sanguis Christi, inebria me,
Aqua lateris Christi, lava me,
Passio Christi, conforta me,
O bone Jesu, exaudi me,
Ne permittas me separari à Te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis Tuis laudem Te,
In saecula saeculorum, Amen.

Ad Collectas.

Gratias Tibi ago, Domine Jesu, quod me hujus Tui sanctissimi Sacrificii participem fecisti, quo amarissimae passionis ac mortis Tuae memoriam innovavii Fac oro, ut ejusdem mysterii virtute et operatione in fide, spe et charitate perseverem, vitamque aeternam consequar. Amen.

Ad Benedictionem.

Benedicat nos, omnipotens Deus, Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Initium S. Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui cre-

dunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Oblatio post Missam.

Placeat Tibi, sancta Trinitas! obsequium servitutis meae, et praesta: ut sacrificium, quod oculis Tuae Majestatis cum sacerdote indignus obtuli, Tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit Te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alius modus devote adsistendi Sacrificio Missae.

Praeparatio.

Instat jam actus sanctissimus, quo praecipua fidei et redemtionis nostrae

mysteria renovantur, viva scilicet et vera repraesentatio illius sacrificii cruenti, quod Christus in ara crucis Patri aeterno pro peccatis nostris obtulit et consummavit.

Huic actui adsistentes opus redemtionis nostrae, passionis Tuae, benignissime Jesu, et amoris Tui erga nos memoriam pio mentis affectu recolamus; Tu enim ipse praecepisti: Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Ad Introitum.

O Pater aeterne, qui sic dilexisti mundum, ut Filium Tuum Unigenitum dares pro redemtione nostra: quid pro tanto munere et amore retribuamus Tibi? Suscipe ipsum, qui se Tibi offert, Unigenitum Tuum cum suspiriis et precibus nostris; respice in faciem Christi Tui, cujus plagis sanati sumus, et miserere nostri.

O quot suspiriis, quam ardentibus votis desideratus ipse fuit cunctis gentibus, donec tandem missus a Te for-

mam servi accepit, et Tibi factus obediens usque ad mortem, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus!

Credo in Te viva fide, o aeterna veritas, quae Te revelas parvulis et mundis corde.

Spero in Te, Domine, o unica spes et vera salus animae meae, qui venisti in mundum, ut salvum faceres, quod perierat.

Amo Te super omnia, ex toto corde meo, o summum bonum meum, qui amare non desinis, quos redemisti.

Doleo vehementer, quod unquam peccando recesserim a Te, qui tantopere cupis, me esse beatum. Nihil amplius separet me a charitate Tua!

Ad Collectas.

Exaudi, Deus, preces Ecclesiae Tuae sanctae, Tibi in nomine dilectissimi Filii Tui, Domini nostri Jesu Christi, humiliter supplicantis; et pro immensa Tua misericordia largire nobis peccatorum nostrorum veniam, integritatem

mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, verae fidei unitatem et incrementum, sinceram animi devotionem, concordiae et charitatis fervorem, in laboribus patientiam, faustos in bonis studiis progressus, omnia denique ad salutem tum animae tum corporis utilia, sed ad Tuae imprimis gloriae augmentum idonea. Amen.

Ad Evangelium.

Patris aeterni aeterne Fili, splendor gloriae et imago substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis Tuae, Tu a coelis venisti magister, ut viam Dei in veritate doceres, et nos a terris in coelum duceres. Ut vero perfectius impleres munus Tuum, prius coepisti facere, quam docere. Cum gratiarum actione et magno gaudio accipimus Evangelium Tuum. Vita et doctrina Tua sint lumen semitis nostris et virtus Dei, nobis ad salutem. Ad quem ibimus, nisi ad Te? Tu verba vitae aeternae habes; et quis arguere Te poterat de peccato? — Utinam corde bono

et fertili suscipiamus verbum Tuum, et fructum multum afferamus, non speciem tantum habentes pietatis, virtutem vero ejus abnegantes: sed potius operibus comprobantes fidem nostram. Beatos enim dixisti, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

Ad Offertorium.

Offerimus Tibi sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, per manus sacerdotis panem et vinum, in corpus et sanguinem Filii Tui, Jesu Christi convertenda. Accipe ea in unione illius reverentiae, qua ipse, summus Sacerdos noster, se Tibi obtulit, et a ministris suis offerri in Ecclesia voluit. Offerimus pariter cum iis et nosmet ipsos, gratiam filialem habentes Tibi pro innumeris beneficiis, quibus in dies nutris, foves et recreas tum corpus, tum animam nostram; et quia donis Tuis non semper bene et prudenter usi sumus; in spiritu humilitatis et animo contrito imploramus clementiam Tuam: peccata juventutis et ignorantias

nostras ne memineris, Domine, sed adjuva nos, ut exhibeamus corda nostra hostiam viventem, sanctam et Tibi placentem, rationabile obsequium fidei. Per Jesum Christum, Filium Tuum. Amen.

Ad memoriam Vivorum.

Pater clementissime! Prostrati coram facie Tua precamur, oblationem hanc acceptam habeas non pro nostra tantum salute, sed et Ecclesiae Tuae universae ejusque praesulum, summi Pontificis, Episcoporum, Sacerdotum et ministrorum; Principum, superiorum, Parentum, benefactorum et magistrorum nostrorum, omniumque, pro quibus Tu nos vis orare, et qui Tibi reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Ad Elevationem.

O Christe Jesu, adoro Te, qui exaltatus es e terra, ut omnia traheres ad Te ipsum. Video enim Te extensis in cruce brachiis, quasi nos amplecti cu-

pientem et clamantem: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

O Domine, si segnius ad Te venio, trahe me vinculis charitatis Tuae, quam moriens in cruce monstrasti. Scire et quaerere Jesum, et hunc crucifixum, sit mihi summa sapientia et sola voluptas. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.

O Pater misericordiarum, ecce, hic est Filius Tuus dilectus, in quo Tibi bene complacuit. Ecce, hic est propitiatio pro peccatis nostris, et Advocatus noster apud Te. Per hunc ergo propitius sis mihi peccatori. Ecce, vox sanguinis Filii Tui clamat ad Te de terra, non vindictam, sed veniam. Passio et mors ejus sit mihi in remissionem peccatorum; vulnera ejus medela fiant animae meae.

Ad memoriam Defunctorum.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque Tuarum, qui nos prae-

cesserunt cum signo fidei, et dormiunt in sancta pace, inprimis propinquorum, amicorum, benefactorumque meorum....

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur per eundem Christum Dominum nostrum.

Ad orationem Dominicam et Agnus Dei.

Pater noster. Agnus Dei etc.

Ad Communionem.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

Adoro Te, Domine Jesu! in hoc Sacramento vere praesentem, et spero in Te, fons omnis bonitatis et salutis; non enim sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Amo Te, Domine, tam amantem mei, ex toto corde meo super omnia, et

cupio uniri Tibi, saltem spiritualiter, et mutari et renovari gratia Tua, ut nihil me separet a Te, sed in aeternum adhaeream Tibi.

Ad Collectas.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis Tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis Tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis Tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc. etc.

In fine Sacrificii ad Benedictionem.

Benedicat nos, omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Orationes, Sequentiae, Evangelia et praefationes principaliorum festorum Domini, Beatae Mariae Virginis atque Sanctorum, secundum ordinem anni ecclesiastici.

In festo Conceptionis B. M. V. (8. Dec.)

Oratio.

Famulis Tuis quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire: ut, quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium; Conceptionis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum etc.

Initium S. Evangelii secundum Matthaeum.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Tha-

mar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naásson. Naásson genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uriae. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiám. Abiàs autem genuit Asa. Asa autem genuit Jòsaphat. Jósaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Jóatham. Jóatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechías autem genuit Manàssen. Manásses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josi'am. Josias autem genuit Jechoni'am et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Saláthiel autem genuit Zoróbabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit

Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleàzar. Eleázar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Secreta.

Unigeniti Tui, Domine, nobis succurrat humanitas: ut, qui natus de Virgine, matris integritatem non minuit, sed sacravit; in conceptionis ejus solemniis, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram Tibi faciat acceptam Jesus Christus, Dominus noster. Qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

Praefatio.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Et Te in Conceptione beatae Mariae Virginis, collaudare, benedicere et praedicare. Quae et Unigenitum Tuum sancti Spiri-

tus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudit; Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem Tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, coelorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, sanctus etc.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, celebritatis annuae votiva sacramenta: praesta quaesumus; ut et temporalis vitae nobis remedia praebeant et aeternae. Per Dominum nostrum etc.

In vigilia Nativitatis Christi.

Oratio.

Deus, qui nos redemtionis nostrae annua expectatione laetificas; praesta, ut Unigenitum Tuum, quem Redem-

torem laeti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.«

Secreta.

Da nobis, quaesumus, omnipotens Deus, ut sicut adoranda Filii Tui natalitia praevenimus: sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui Tecum vivit etc.

Praefatio communis pag. 77.

Postcommunio.

Da nobis, quaesumus Domine, unigeniti Filii Tui recensita nativitate respirare: cujus coelesti mysterio pascimur et potamur. Per Dominum nostrum etc.

In festo Nativitatis Domini ad primam Missam in nocte.

Oratio.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da quaesumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in coelo perfruamur. Qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino: et ibant om-

nes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilaea de civitate Nazareth, in Judaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et péperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio: quia non erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo

militiae coelestis, laudantium Deum et dicentium: gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Secreta.

Accepta Tibi sit, Domine, quaesumus, hodiernae festivitatis oblatio, ut Tua gratia largiente, per haec sacrosancta commercia in illius inveniamur forma, in quo Tecum est nostra substantia. Qui Tecum vivit et regnat etc.

Praefatio.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus: quia per incarnati verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux Tuae claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus,

hymnum gloriae Tuae canimus sine fine dicentes:

Sanctus, sanctus, sanctus etc.

Postcommunio.

Da nobis, quaesumus Domine Deus noster; ut qui nativitatem Domini nostri Jesu Christi mysteriis nos frequentare gaudemus; dignis conversationibus ad ejus mereamur pervenire consortium. Qui Tecum vivit etc.

Ad secundam Missam in aurora.

Oratio.

Da nobis, quaesumus omnipotens Deus, ut qui nova per incarnati Verbi Tui luce perfundimur; hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eundem Dominum nostrum etc.

Pro commemoratione S. Anastasiae.

Oratio.

Da, quaesumus omnipotens Deus: ut qui beatae Anastasiae martyris Tuae

solemnia colimus; ejus apud Te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem; Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in praesepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quae dicta erant de pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus, quae audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos.»

Secreta.

Munera nostra, quaesumus Domine, nativitatis hodiernae mysteriis apta proveniant, et pacem nobis semper infun-

dant, ut sicut homo genitus idem refulsit et Deus, sic nobis haec terrena substantia conferat, quod divinum est. Per eundem Dominum etc.

Pro sancta Anastasia.

Secreta.

Accipe, quaesumus Domine, munera dignanter oblata; et beatae Anastasiae martyris Tuae suffragantibus meritis, ad nostrae salutis auxilium provénire concede. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio pag. 101.

Postcommunio.

Hujus nos, Domine, sacramenti semper novitas natalis instauret: cujus nativitas singularis humanam repulit vetustatem. Per eundem Dominum nostrum etc.

Pro sancta Anastasia.

Postcommunio.

Satiasti, Domine, familiam Tuam muneribus sacris; ejus, quaesumus, interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum nostrum etc.

Ad tertiam Missam in die nativitatis Domini.

Oratio.

Concedo, quaesumus, omnipotens Deus, nos Unigeniti Tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eundem Dominum nostrum etc.

Initium S. Evangelii secundum Joannem.

In principio etc. pag. 84.

Secreta.

Oblata, Domine, munera, nova Unigeniti Tui nativitate sanctifica: nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eundem Dominum etc.

Praefatio pag. 101.

Postcommunio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinae nobis generationis est auctor, ita et immortalitatis sit ipse largitor. Qui Tecum vivit et regnat etc.

In festo S. Stephani Protomartyris. (26. Dec.)

Oratio.

Da nobis, quaesumus Domine, imitari quod colimus; ut discamus et inimicos diligere; quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat etc.

Commemoratio de Nativitate.

Concede quaesumus. (pag. 105.)

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore dicebat Jesus Scribis et Pharisaeis. Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis

inter templum et altare. Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare pullos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub altas, et noluisti? Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Secreta.

Suscipe, Domine, munera pro Tuorum commemoratione sanctorum; ut sicut illos passio gloriosos effecit, ita nos devotio reddat innocuos. Per Dominum nostrum etc.

De Nativitate. Secreta.
Oblata, Domine, etc. (pag. 105.)

Praefatio (pag. 101.) ut heri.

Postcommunio.

Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria, et intercedente beato Ste-

phano martyre Tuo, sempiterna protectione confirment. Per Dominum nostrum etc.

De Nativitate. Postcommunio. Praesta, quaesumus etc. (pag. 105.)

In festo Circumcisionis D. N. J. Ch. (1. Jan.)

Oratio.

Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate fecunda, humano generi praemia praestitisti, tribue quaesumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum vivit etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.»

Secreta.

Muneribus nostris, quaesumus Domine, precibusque susceptis, et coelestibus nos munda mysteriis et clementer exaudi. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio ut 25. Dec. (pag. 101.)

Postcommunio.

Haec nos communio, Domine, purget a crimine, et intercedente beata virgine, Dei genitrice Maria, coelestis remedii faciat esse consortes. Per eundem Dominum etc.

In Epiphania Domini. (6. Jan.)

Oratio.

Deus, qui hodierna die Unigenitum Tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius; ut, qui jam Te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem Tuae celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce

Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: ubi est, qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, suscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judae. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis, et mittens illos in Bethlehem, dixit: ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui, cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno

valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria, matre ejus, *) et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Secreta.

Ecclesiae Tuae, quaesumus, Domine dona propitius intuere: quibus non jam aurum, thus et myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur et sumitur, Jesus Christus, Filius Tuus, Dominus noster, qui Tecum vivit etc.

Praefatio.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere; Domine, sancte Pater omnipotens, aeterne Deus; quia cum Unigenitus Tuus in substantia nostrae mortalitatis apparuit, nova nos im-

*) Hic genuflectitur.

mortalitatis suae luce reparavit. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae Tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, sanctus etc.

Postcommunio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus; ut, quae solemni celebramus officio, purificatae mentis intelligentia consequamur. Per Dominum etc.

In festo Purificationis. B. M. V. (2. Febr.)

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, majestatem Tuam supplices exoramus; ut sicut unigenitas Filius Tuus hodierna die in templo es praesentatus, ita nos facias purificatis Tibi mentibus praesentari. Per eundem Dominum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jeru-

salem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum Tuum, Domine, secundum verbum Tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare Tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis Tuae Israel.

Secreta.

Exaudi, Domine, preces nostras: et

ut digna sint munera, quae oculis Tuae majestatis offerimus, subsidium nobis Tuae pietatis impende. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio de Nativitate Domini. pag. 101.

Postcommunio.

Quaesumus Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quae pro reparationis nostrae munimine contulisti, intercedente beata Maria, semper Virgine, et praesens nobis remedium esse facias et futurum. Per Dominum nostrum etc.

Feria 4. cinerum.

Oratio.

Completa cinerum impositione.

Concede nobis, Domine, praesidia militiae christianae sanctis inchoare jejuniis; ut contra spiritales nequitias pugnaturi, continentiae muniamur auxiliis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio in Missa.

Praesta, Domine, fidelibus Tuis: ut

jejuniorum veneranda solemnia, et congrua pietate suscipiant et secura devotione percurrant. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae, tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis: quia receperunt mercedem suam. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo; ubi neque aerugo, neque tinea demolitur: et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Secreta.

Fac nos, quaesumus Domine, his muneribus offerendis convenienter aptari: quibus ipsius venerabilis sacramenti celebramus exordium. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio. *)

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia, per Christum, Dominum nostrum. Per quem majestatem Tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Coeli, coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, sanctus etc.

---

*) Haec praefatio dicitur usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, nisi in festis propria assignetur.

Postcommunio.

Percepta nobis, Domine, praebeant sacramenta subsidium, ut Tibi grata fiant nostra jejunia, et nobis proficiant ad medelam.

In festo S. Josephi.
(19. Martii.)

Oratio.

Sanctissimae genitricis Tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas etc.

Evangelium ut in Vigilia Nativitatis Domini. pag. 78.

Secreta.

Debitum Tibi, Domine, nostrae reddimus servitutis, suppliciter exorantes: ut suffragiis beati Jeseph, sponsi genitricis Filii Tui Jesu Christi, Domini nostri, in nobis Tua munera tuearis, ob cujus venerandam festivitatem laudis Tibi hostias immolamus. Per eundem Dominum nostrum etc.

Praefatio pag. 77.

Postcommunio.

Adesto nobis, quaesumus, misericors Deus: et intercedente pro nobis beato Joseph Confessore, Tua circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum nostrum etc.

In festo Annuntiationis B. M. V. (25. Mart.)

Oratio.

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero, Verbum Tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; praesta supplicibus Tuis; ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud Te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam

dixit: Ave gratia plena; Dominus Tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum; quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi quae vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Secreta.

In mentibus nostris, quaesumus Domine, verae fidei sacramenta confirma: ut, qui conceptum de virgine Deum verum et hominem confitemur: per ejus salutiferae resurrectionis potentiam, ad aeternam mereamur pervenire laetitiam. Per eundem Dominum etc.

Praefatio de B. M. V. p. 96. Sed loco: Et Te in conceptione dicitur: Et Te in Annuntiatione quod et in aliis Festis B. M. V. observandum est, uti notabitur.

Postcommunio.

Gratiam Tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo nuntiante, Christi Filii Tui incarnationem cognovimus; per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum etc.

In Dominica Passionis.

Oratio.

Quaesumus, omnipotens Deus, familiam Tuam propitius respice: ut, Te argiente, regatur in corpore, et Te servante, custodiatur in mente. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: Dicebat Jesus turbis Judaeorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Judaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemonium habes? Respondit Jesus: Ego daemonium non habeo: sed honorifico Patrem meum et vos inhonorastis me. Ego autem non quaero gloriam meam, est, qui quaerat et judicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Dixerunt ei Judaei: Nunc cognovimus, quia daemonium habes, Abraham mortuus est, et Prophetae, et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Jesus: Si ego

glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, et non cognovistis eum: ego autem novi eum, et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est, dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

Secreta.

Haec munera, quaesumus Domine, et vincula nostrae pravitatis absolvant, et Tuae nobis misericordiae dona concilient. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio. *)

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique

*) Dicitur in hac Dominica usque ad fer. v. in coena Domini inclusive, nisi in festis propria assignetur.

gratias agere; Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti; ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Christum, Dominum nostrum. Per quem majestatem Tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, sanctus etc.

Postcommunio.

Adesto nobis, Domine Deus noster: et quos Tuis mysteriis recreasti, perpetuis defende subsidiis. Per Dominum nostrum etc.

In festo septem Dolorum B. M. V.

Oratio.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam dulcissimam ani-

mam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propritius; ut, qui transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis Tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas etc.

Sequentia.

Stabat mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat filius.
Cuius animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat,
Pia Mater dum videbat,
Nati poenas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis,
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum,
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eja Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere
Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriae.
Quando corpus morietur,
Fac ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: stabant juxta crucem Jesu, Mater ejus et soror Matris

ejus, Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Secreta.

Offerimus Tibi preces et hostias, Domine Jesu Christe, humiliter supplicantes: ut, qui transfixionem dulcissimi spiritus beatae Mariae Matris Tuae precibus recensemus, suae suorumque sub cruce sanctorum consortium multiplicato piissimo interventu, meritis mortis Tuae, meritum cum beatis habeamus. Qui vivis et regnas etc.

Praefatio de beata Maria: Et Te in transfixione. (p. 96.)

Postcommunio.

Sacrificia, quae sumpsimus, Domine Jesu Christe, transfixionem Matris Tuae et Virginis devote celebrantes, nobis impetrent apud clementiam Tuam om-

nis boni salutaris effectum. Qui vivis et regnas etc.

Feria quinta in coena Domini.

Oratio.

Deus, a quo et Judas reatus sui poenam, et confessionis suae latro praemium sumpsit, concede nobis Tuae propitiationis effectum: ut, sicut in passione sua Jesus Christus, Dominus noster, diversa utrisque intulit stipendia meritorum; ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suae gratiam largiatur. Qui Tecum vivit et regnat etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

Ante diem festum Paschae, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et coena facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotae: sciens,

quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit; surgit a coena, et ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, praecinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat praecinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, Tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit; non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis

me, Magister et Domine, et bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

Secreta.

Ipse Tibi, quaesumus, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monstravit: Jesus Christus, Filius Tuus, Dominus noster, qui Tecum vivit et regnat etc.

Praefatio de cruce. (pag. 122.)

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimentis, quaesumus Domine Deus noster: ut, quod tempore nostrae mortalitatis exequimur, immortalitatis Tuae munere consequamur. Per Dominum nostrum etc.

Sabbato sancto.

Oratio.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicae resurrectionis illustras, conserva in nova familiae Tuae progenie adoptionis Spiritum, quem dedisti; ut corpore et mente renovati, puram Tibi exhibeant servitutem. Per eundem Dominum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum: erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: nolite timere vos; scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic, surrexit

enim, sicut dixit. Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis ejus, quia surrexit, et ecce: praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis.

Secreta.

Suscipe, quaesumus Domine, preces populi Tui, cum oblationibus hostiarum: ut paschalibus initiata mysteriis, ad aeternitatis nobis medelam, Te operante, proficiant. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio. *)

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, Te quidem Domine, omni tempore, sed in hac potissimum

*) Praefatio haec dicitur a Vigilia Paschae usque ad ascensionem, nisi in eis propria assignetur. In Missa sabbati S. dicitur: in hac potissimum nocte; in die Paschae usque ad Sabbatum in Albis inclusive, in hac potissimum die, et deinceps: in hoc potissimum gloriosius praedicare.

nocte gloriosius praedicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus hymnum gloriae Tuae canimus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus etc.

Postcommunio.

Spiritum nobis, Domine, Tuae charitatis infunde: ut, quos sacramentis Paschalibus satiasti, Tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum etc.

In Dominica Resurrectionis D. N. J. Ch.

Oratio.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum Tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti; vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam ad-

juvando prosequere. Per eundem Dominum nostrum etc.

Sequentia.

Victimae Paschali laudes immolent Christiani. Agnus redemit oves: Christus innocens Patri reconciliavit peccatores. Mors et vita duello conflixere mirando: dux vitae, mortuus regnat vivus. Dic nobis Maria, quid vidisti in via? sepulchrum Christi viventis: et gloriam vidi resurgentis; angelicos testes, sudarium et vestes, surrexit Christus spes mea: praecedet vos in Galilaeam. Scimus Christum surrexisse a mortuis vere: Tu nobis Victor Rex miserere, Amen. Alleluja.

Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore: Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. Et dicebant ad invicem, quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et re-

spicientes viderunt revolutum lapidem, Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Qui dicit illis: nolite expavescere: Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia praecedet vos in Galilaeam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Secreta.

Suscipe, quaesumus Domine, preces populi Tui cum oblationibus hostiarum: ut Paschalibus initiata mysteriis; ad aeternitatis nobis medelam, Te operante, proficiant. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio. (pag. 132.) in hac potissimum die etc.

Postcommunio.

Spiritum nobis, Domine, Tuae charitatis infunde: ut, quos sacramentis paschalibus satiasti, Tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum etc.

In die Ascensionis Domini.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui hodierna die Unigenitum Tuum Redemtorem nostrum ad coelos ascendisse credimus; ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem Dominum nostrum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore: recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid tiberint non eis nocebit: super aegros manus imponent,

et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

Secreta.

Suscipe, Domine, munera, quae pro Filii Tui gloriosa ascensione deferimus; et concede propitius: ut a praesentibus periculis liberemur et ad vitam perveniamus aeternam. Per eundem Dominum nostrum etc.

Praefatio. *)

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cer-

*) Haec praefatio dicitur in die Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, etiam in festis, nisi propriam habuerint.

nentibus est elevatus in coelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae Tuae canimus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus etc.

Postcommunio.

Praesta nobis, quaesumus omnipotens et misericors Deus: ut, quae visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per Dominum nostrum etc.

In Dominica Pentecostes.

Oratio.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum . . . in unitate ejusdem etc.

Sequentia.

Veni sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis Tuae radium.

Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium.

In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima Tuorum fidelium.

Sine Tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum, riga, quod est aridum; sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum; fove, quod est frigidum; rege, quod est devium.

Da Tuis fidelibus, in Te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansio-

nem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus; sed ejus, qui misit me, Patris. Haec locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Secreta.

Munera, quaesumus Domine, oblata sanctifica, et corda nostra sancti Spiri-

tus illustratione emunda. Per Dominum nostrum . . . . in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus etc.

Praefatio. *)

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum, Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes coelos, sedensque ad dexteram Tuam, promissum Spiritum sanctum (hodierna die) in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed et supernae Virtutes, atque angelicae Potestates hymnum gloriae Tuae concinunt, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus etc.

Postcommunio.

Sancti spiritus, Domine corda nostra mundet infusio: et sui roris intima

*) Dicitur usque ad sequens Sabbatum inclusive, e in Missis votivis de Spiritus, sed omisso hodierna die.

aspersione fecundet. Per Dominum nostrum . . . in unitate ejusdem etc.

In festo Ss. Trinitatis.

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis Tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis. Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus, diebus, usque ad consummationem saeculi.

Secreta.

Sanctifica, quaesumus Domine, Deus noster, per Tui sancti nominis invoca-

tionem, hujus oblationis hostiam: et per eam nosmet ipsos Tibi perfice munus aeternum. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui cum unigenito Filio Tuo, et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de Tua gloria, revelante Te, credimus, hoc de Filio Tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae, sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas. Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes:

Sanctus, sanctus etc.

Postcommunio.

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine, Deus noster, hu-

jus sacramenti susceptio, et sempiternae sanctae Trinitatis, ejusdemque individuae unitatis confessio. Per eundem Dominum etc.

In solemnitate Corporis Christi.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis Tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus; ita nos Corporis et Sanguinis Tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis Tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Sequentia.

Lauda Sion Salvatorem, lauda ducem et pastorem, in hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis, panis vivus et vitalis hodie proponitur.

Quem in sacrae mensa coenae, turbae fratrum duodenae datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora, mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur, in qua mensae prima recolitur hujus institutio.

In hac mensa novi Regis, novum Pascha novae legis, phase vetus terminat.

Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit, faciendum hoc expressit, in sui memoriam.

Docti sacris institutis, panem, vinum in salutis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, et vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus, signis tantum, et non rebus, latent res eximiae.

Caro cibus, sanguis potus: manet tamen Christus totus sub utraque specie.

A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille: nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura: signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum: vere panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, cum Isaac immolatur: agnus Paschae deputatur: datur manna patribus.

Bone Pastor, panis vere, Jesu nostri miserere: Tu nos pasce, nos tuere: Tu nos bona fac videre in terra viventium.

Tu, qui cuncta scis et vales: qui nos pascis hic mortales: Tuos ibi com-

mensales, cohaeredes et sodales fac sanctorum civium. Amen. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem,

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

Secreta.

Ecclesiae Tuae, quaesumus Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quae sub oblatis muneribus mystice designantur. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio de Nativitate (pag. 101.)

Postcommunio.

Fac nos, quaesumus Domine, divi-

nitatis Tuae sempiterna fruitione repleri: quam pretiosi corporis et sanguinis Tui temporalis perceptio praefigurat. Qui vivis et regnas etc.

In festo S. Aloysii, specialis Patroni studiosae juventutis. (21. Jun.)

Oratio.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in Angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti; ejus meritis et precibus concede; ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore: Respondens Jesus, ait Sadducaeis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est

a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbae mirabantur in doctrina ejus. Pharisaei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum, et interrogavit eum unus ex illis, legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae.

Secreta.

Coelesti convivio fac nos, Domine, nuptiali veste indutos accumbere; quam beati Aloysii pia praeparatio, et juges lacrymae inaestimabilibus ornabant margaritis. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio communis (pag. 77.).

Postcommunio.

Angelorum esca nutritos, angelicis etiam, Domine, da moribus vivere; et ejus, quem hodie colimus, exemplo, in gratiarum semper actione manere. Per Dominum nostrum etc.

In Nativitate S. Joannis Baptistae.

Oratio.

Deus, qui praesentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti; da populis Tuis spiritualium gratiam gaudiorum; et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis aeternae. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine pa-

tris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur, benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judaeae divulgabantur omnia verba haec: et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer ille erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias, pater ejus, repletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Secreta.

Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem

mundi et cecinit adfuturum, et adesse monstravit Dominum nostrum, Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum etc.

Praefatio communis (pag. 77.).

Postcommunio.

Sumat Ecclesia Tua, Deus, beati Joannis Baptistae generatione laetitiam; per quem suae regenerationis cognovit auctorem, Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum etc.

In festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli. (29. Jun.)

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum Tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiae Tuae, eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore: venit Jesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat

discipulos suos, dicens: quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus. Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.

Secreta.

Hostias, Domine, quas nomini Tuo sacrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio: per quam nos expiari tribuas et defendi. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare: Te Domine, suppliciter exorare, ut gregem Tuum, pastor aeterne, non deseras; sed per beatos Apostolos Tuos continua protectione custodias. Ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis Tui Vicarios eidem contulisti praeesse pastores. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae Tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, Sanctus etc.

Postcommunio.

Quos coelesti, Domine, alimento satiasti: Apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per Dominum nostrum etc.

In festo Assumptionis B. M. V. (15. Aug.)

Oratio.

Famulorum Tuorum, quaesumus, Domine, delictis ignosce, ut, qui Tibi

placere de actibus nostris non valemus, genitricis Filii Tui, Domini nostri intercessione salvemur. Per eundem Dominum nostrum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam; et huic erat soror, nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quae stetit, et ait: Domine, non est Tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, et turbaris ergo plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.

Secreta.

Subveniat, Domine, plebi Tuae Dei genitricis oratio, quam etsi pro condi-

tione carnis migrasse cognoscimus; in coelesti gloria apud Te pro nobis intercedere sentiamus. Per eundem Dominum nostrum etc.

Praefatio de S. Maria (pag. 96.). Et Te in assumptione.

Postcommunio.

Mensae coelestis participes effecti, imploramus clementiam Tuam, Domine Deus noster: ut, qui assumptionem Dei genitricis colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per eundem Dominum nostrum etc.

In festo Nativitatis B. M. V. (8. Sept.)

Dicitur eadem Missa, ut in festo Conceptionis B. M. V. (8. Dec.) mutato tantum nomine festi.

In festo omnium Sanctorum. (1. Nov.)

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum Tuorum merita

sub una tribuisti celebritate venerari, quaesumus; ut desideratam nobis Tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati estis, cum maledixerint vobis, et

persecuti vos fuerint; et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.

Secreta.

Munera Tibi, Domine, nostrae devotionis offerimus, quae et pro cunctorum Tibi grata sunt honore justorum, et nobis salutaria, Te miserante, reddantur. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio communis (pag. 77).

Postcommunio.

Da, quaesumus, Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorum semper veneratione laetari, et eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum nostrum etc.

Preces, quando Missae Sacrificium dicitur pro defunctis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

S. Introibo ad Altare Dei,

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini
M. Qui fecit coelum et terram.
S. Confiteor etc.
M. Misereatur tui etc.
S, Amen.
M. Confiteor etc.
S. Misereatur vestri etc.
M. Amen.
S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus
M. Amen.
S. Deus, Tu conversus vivificabis nos.
M. Et plebs Tua laetabitur in Te.
S. Ostende nobis, Domine! misericordiam Tuam,
M. Et salutare Tuum da nobis.
S. Domine exaudi orationem meam
M. Et clamor meus ad Te veniat.
S. Dominus vobiscum,
M. Et cum Spiritu tuo.

Ad Introitum.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Psalm. Te decet hymnus, Deus in Sion, et Tibi reddetur votum in Jerusalem: exaudi orationem meam, ad Te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleison. M. Christe eleison.
S. Christe eleison. M. Christe eleison.
S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleison.
S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.

Ad Collectas. *)

Orationes.

Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes, famulos Tuos Pontificali, seu Sa-

---

*) In die Obitus, seu Depositionis defuncti dicitur oratio sequens:

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere, Te supplices exoramus pro anima famuli Tui N. (vel famulae Tuae N.), quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in

cerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Domi.

---

finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci; ut, quia in Te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Dominum nostrum etc.

In die tertio, septimo et trigesimo depositionis defuncti dicitur sequens Oratio.

Quaesumus Domine, ut animae famuli Tui N. (vel famulae Tuae N.), cujus depositionis diem tertium (vel septimum vel trigesimum) commemoramus, sanctorum atque electorum Tuorum largiri digneris consortium, et rorem misericordiae Tuae perennem infundas. Per Dominum nostrum etc.

In Anniversario defunctorum dicitur oratio sequens:

Deus, indulgentiarum Domine, da animabus famulorum, famularumque Tuarum (vel animae famuli Tui N. vel famulae Tuae N.) quorum (vel cujus)

num nostrum Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator: quaesumus clementiam Tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria, sem-

---

anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Per Dominum nostrum etc.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum (2. Nov.) dicitur Oratio sequens.

Fidelium Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque Tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

per Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis Tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor; animabus famulorum famularumque Tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Epistolam.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli. *)

In diebus illis: Audivi vocem de coelo dicentem mihi: scribe, beati mortui,

*) In die obitus seu depositionis defuncti legitur Epistola sequens:

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses. (1. Thessal. 4. c.)

Fratres, nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus

qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.

Deo gratias.

---

est et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

In die Anniversarii legitur sequens Epistola:

Lectio libri Machabaeorum. (2. Machab. 12. cap.) In diebus illis: Vir fortissimus Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit

Graduale. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. ℣ In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit. (Ps. 111.)

Tractus. Absolve, Domine, ani-

Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis). Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum dicitur Epistola sequens:

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. (1. Cor. 15. cap.)

Fratres! Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba canet enim tuba et mortui resurgent incor-

mas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣ Et gratia Tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis. ℣. Et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Sequentia. *)

Dies irae, dies illa,
Solvet saeclum in favilla:
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!

---

rupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; et mortale hoc induere immortalitatem; tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

*) In missis quotidianis ad libitum.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit, et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit,
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cum vix justus sit securus.
Rex tremendae Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.
Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa Tuae viae,
Ne me perdas illa die.
Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.
Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus;
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae:
Sed Tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta,
Et ab haedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis;
Gere curam mei finis.

Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus.

Huic ergo parce Deus,
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem. Amen.

Ad Evangelium. *)

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. (Joan. 6. cap.)

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,

---

*) In die Obitus seu depositionis defuncti dicitur Evangelium sequens: (Joan. 11. cap.)

In illo tempore: Dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio, quia quaecunque poposceris a Deo, dabit Tibi Deus. Dicit illi Jesus: resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia Tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

In die Anniversarii legitur Evangelium sequens:

et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis

---

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. (Joan. 6. cap.)

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras: quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum dicitur sequens Evangelium:

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. (Joan. 5. cap.)

carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Ad Offertorium.

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo

---

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso; et potestatem dedit ei, judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qu vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum: sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam: quam olim Abrahae promisisti et semini ejus. ℣. Hostias et preces Tibi, Domine, laudis offerimus, Tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus, fac eas Domine de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

Ad Secretas. *)

Suscipe, Domine quaesumus, pro animabus famulorum Tuorum Pontifi-

*) In die obitus seu depositionis defuncti dicitur secreta sequens:

Propitiare, quaesumus Domine, animae famuli Tui N. (vel famulae Tuae N.) pro qua hostiam laudis Tibi immolamus, Majestatem Tuam suppliciter deprecantes: ut per haec piae placationis officia, pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per Dominum nostrum etc.

In die tertio, septimo et trigesimo depositionis defuncti dicitur sequens Secreta:

cum seu Sacerdotum, quas offerimus, hostias: ut quibus in hoc saeculo Pontificale, seu Sacerdotale donasti meritum, in coelesti regno Sanctorum Tuorum jubeas jungi consortio. Per Dominum nostrum etc.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae: et animabus fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, quibus Tui nominis dedisti confessionem,

---

Munera, quaesumus Domine, quae Tibi pro anima famuli Tui N. (vel famulae Tuae N.) offerimus, placatus intende, ut remediis purgata coelestibus in Tua pietate requiescat. Per Dominum nostrum etc.

In die Anniversarii dicitur Secreta sequens:

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, pro animabus famulorum famularumque Tuarum (vel pro anima famuli Tui N. vel famulae Tuae N.) quorum (vel cujus) hodie annua dies agitur, pro quibus (vel pro qua) Tibi offerimus Sacrificium laudis: et eas

per haec Sacramenta salutis nostrae, cunctorum remissionem tribue peccatorum.

Hostias, quaesumus Domine, quas Tibi pro animabus famulorum famularumque Tuarum offerimus, propitiatus intende: ut, quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium. Per Dominum nostrum etc.

Ad Praefationem.

℣. Sursum Corda, ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere; Domine sancte Pater om-

---

(vel eam) Sanctorum Tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum nostrum etc.

In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum dicitur Secreta sequens:

Hostias, quaesumus Domine, quas Tibi pro animabus famulorum famularumque Tuarum offerimus, propitiatus intende: ut, quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium. Per Dominum nostrum etc.

nipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem Tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria Tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Ante et post Elevationem.

O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui, discedens ex hoc mundo, Tuam nobis carnem et sanguinem in cibum et potum reliquisti; per infinitum hunc amorem supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. deduc eos ad vitae fontes, et fac, ut mox Tecum edant et bibant super mensam Tuam in regno Tuo. (Luc. 22.)

O Jesu, Protector et salus nostra,

qui tantas nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor Tuus factus sit sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Per pretiosissimum hunc sanguinem Tuum supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. Libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrymam ab oculis eorum. (Apoc. 7. c.)

O Jesu, Redemptor et Salvator noster, qui captus es in peccatis nostris. Per durissima illa vincula Tua supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. solve omnia eorum vincula delictorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita implicavit, ut laeti sacrificent Tibi hostiam laudis. (Ps. 119, 17.)

O Jesu, cordis nostri laetitia, qui benedictam faciem Tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, velari, et colaphis caedi permisisti. Per incomprehensibilem hanc patientiam Tuam Te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. Admitte illos ad claritatem lucis Tuae,

eosque adimple laetitia cum vultu Tuo. (Ps. 15, 12.)

O Jesu, corona gloriae nostrae, qui flagellis caesus, et spinis dire, ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es; per summam istam humilitatem TuamTe supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. Concede propitius, ut coronam aeternae gloriae mox consequantur, Tu enim nos coronas in misericordia et miserationibus. (Ps. 102.)

O Jesu, Advocate et Judex noster, qui iniquissimo judicio ad mortem acerbissimam damnatus, nos ab aeternae damnationis reatu absolvisti; per abyssum misericordiae Tuae supplex Te oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N. Audiant mox verbum illud consolationis: dimissa est iniquitas vestra. (Isai. 40, 2.)

O Jesu, summum et unicum bonum nostrum, qui ipse peccata nostra in corpore Tuo super lignum pertulisti. Per immensum hoc beneficium Tuum Te supplex oro: miserere omnium fide-

lium defunctorum, praesertim N. N. Aditus illis ad aeternam gloriam mox reseretur, laetique audiant: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. (Matth. 25, 24.)

Pater noster etc.

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

Ad Communionem.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic tantum verbum, et sanabitur anima mea.

Adoro Te, Domine Jesu, in hoc Sacramento vere praesentem, et spero in Te, fons omnis bonitatis et salutis: amo Te, Domine, tam amantem mei, ex toto corde meo super omnia, et cupio uniri Tibi, saltem spiritualiter, et mutari et renovari gratia Tua, ut

nihil me separet a Te, sed in aeternum adhaeream Tibi. O Jesu! trahe me ad Te magis, magisque.

Ad Collectas. *)

Prosit, quaesumus Domine, animabus famulorum Tuorum Pontificum seu Sacerdotum, misericordiae Tuae implorata clementia, ut ejus, in quo speraverunt et crediderunt, aeternum capiant, Te miserante, consortium. Per Dominum nostrum etc.

Praesta, quaesumus omnipotens et misericors Deus: ut animae fratrum,

---

*) In die obitus seu depositionis defuncti dicitur Collecta sequens.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut anima famuli Tui N. (vel famulae Tuae N.) quae hodie de hoc saeculo migravit, his sacrificiis purgata et a peccatis expedita, indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam, Per Dominum etc.

In die tertio, septimo vel trigesimo dicitur Collecta sequens:

Suscipe, Domine, preces nostras

propinquorum et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis Tuae obtulimus Majestati, per hujus virtutem Sacramenti, a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, Te miserante, recipiant beatitudinem.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque Tuarum oratio proficiat supplicantium: ut eas et a peccatis omnibus exuas; et Tuae redemptionis facias esse participes. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

---

pro anima famuli Tui N. (vel famulae Tuae N.) ut, si quae ei maculae de terrenis contagiis adhaeserunt, remissionis Tuae misericordia deleantur. Per Dominum nostrum etc.

In die Anniversarii dicitur Collecta sequens:

Praesta, quaesumus Domine, ut animae famulorum famularumque Tuarum (vel anima famuli Tui N. vel famulae Tuae N.) quorum (vel cujus) anniversarium depositionis diem commemora-

Ad ultimum Evangelium.

In principio erat verbum etc. pag. 84.

Ad Tumbam

in die Obitus, aut Anniversarii aut commemorationis omnium fidelium defunctorum.

℟. Libera nos Domine! de morte aeterna in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt et terra. Dum veneris judicare saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando coeli movendi sunt et terra.

---

mus his purgatae (vel purgata) sacrificiis, indulgentiam pariter et requiem capiant (vel capiat) sempiternam. Per Dominum nostrum etc.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum dicitur sequens Oratio:

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque Tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas, et Tuae redemptionis facias esse participes. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

℣. Dies illa, Dies irae, calamitatis et miseriae, Dies magna et amara valde. Dum veneris judicare saeculum per ignem, ℣. Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis. Libera etc.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster ....

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus, (vel animas eorum).

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo,

Oratio. *)

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli Tui N. (vel famulac Tuae

*) In die Anniversarii dicitur oratio sequens:

Deus, indulgentiarum Domine, da animae famuli Tui N. (velfamulae Tuae

N.) ut defunctus (vel defuncta) saeculo Tibi vivat, et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, Tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Dominum nostrum etc.

℣. Requiem aeternam dona eis Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

N.) cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Per Dominum nostrum etc.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum dicitur oratio:

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque Tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Orationes variae pro defunctis.

1) Pro Patre aut Matre. *)

Deus, qui nos Patrem et Matrem honorare praecepisti; miserere clementer animae Patris mei (vel Matris meae) ejusque peccata dimitte; meque eum (vel eam) in aeternae claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum etc.

Secreta.

Suscipe Sacrificium, Domine, quod Tibi pro anima Patris mei, (vel Matris meae) offero, eique gaudium sempiternum in regione vivorum concede, meque cum illo, (vel cum illa) felicitati Sanctorum conjuuge. Per Dominum nostrum etc.

Postcommunio.

Coelestis participatio Sacramenti, quaesumus Domine, animae Patris mei (vel Matris meae) requiem et lucem obtineat perpetuam: meque cum illo (vel cum illa) gratia Tua coronet aeterna. Per Dominum nostrum etc.

*) Si ambo Parentes defuncti sunt, dicuntur hae orationes in plurali.

2) Pro defuncto Summo Pontifice.

In die depositionis summi Pontificis dicitur Missa, quae in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum dici solet, praeter orationes, quae dicuntur ut infra.

Oratio.

Deus, qui inter summos Sacerdotes famulum Tuum N. ineffabili Tua dispositione connumerari voluisti: praesta quaesumus; ut qui unigeniti Filii Tui vices in terris gerebat, sanctorum Tuorum Pontificum consortio perpetuo aggregetur. Per eundem Dominum nostrum etc.

Secreta.

Suscipe, Domine, quaesumus, pro anima famuli Tui N. summi Pontificis, quas offerimus hostias: ut, cui in hoc saeculo Pontificale donasti meritum; in coelesti regno Sanctorum Tuorum jubeas jungi consortio. Per Dominum.

Postcommunio.

Prosit, quaesumus Domine, animae famuli Tui N. summi Pontificis, mise-

ricordiae Tuae implorata clementia: ut ejus, in quo speravit et credidit, aeternum capiat, Te miserante, consortium. Per Dominum.

3) Pro defuncto Dioeceseos Episcopo.

In die Depositionis et Anniversario Dioeceseos Episcopi dicitur Missa, quae in die commemorationis omnium fidelium defunctorum dici solet, praeter orationes sequentes:

Oratio.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum Tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe, Domine quaesumus, pro anima famuli Tui N. Pontificis, quas offerimus hostias: ut, cui in hoc saeculo Pontificale donasti meritum; in coelesti regno Sanctorum Tuorum jubeas jungi consortio. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Prosit, quaesumus Domine, animae famuli Tui N. Pontificis, misericordiae

Tuae implorata clementia; ut ejus, in quo speravit et credidit, aeternum capiat, Te miserante, consortium. Per Dominum.

4) Pro uno Defuncto.

Inclina, Domine aurem Tuam ad preces nostras, quibus misericordiam Tuam supplices deprecamur; ut animam famuli Tui N. quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum Tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum etc.

Secreta.

Annue nobis quaesumus Domine, ut animae famuli Tui N. haec prosit oblatio: quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum etc.

Postcommunio.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli Tui N. ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et electos Tuos resuscitatus respiret. Per Dominum nostrum etc.

5. Pro una defuncta.

Quaesumus Domine, pro Tua pietate miserere animae famulae Tuae N: et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum etc.

Secreta.

His sacrificiis, quaesumus Domine, anima famulae Tuae N. a peccatis omnibus exuatur, sine quibus a culpa nemo liber extitit: ut per haec piae placationis officia perpetuam misericordiam consequatur. Per Dominum nostrum etc.

Postcommunio.

Inveniat, quaesumus Domine, anima famulae Tuae N. lucis aeternae consortium: cujus perpetuae misericordiae consecuta est Sacramentum. Per Dominum nostrum etc.

6. Pro pluribus defunctis.

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere: propitiare animabus famulorum famularumque Tuarum, et omnia eorum peccata dimitte; ut mor-

talitatis vinculis absolutae, transire mereantur ad vitam. Per Dominum nostrum etc.

Secreta.

Annue nobis, quaesumus Domine, ut animabus famulorum famularumque Tuarum haec prosit oblatio; quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum etc.

Postcommunio.

Deus, cui soli competit, medicinam praestare post mortem: praesta quaesumus; ut animae famulorum famularumque Tuarum terrenis exutae contagiis, in Tuae redemptionis parte numerentur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus etc.

Praxis audiendi exhortationem sacram.

Concionem libenter audi: nam verbi divini audiendi desiderium praedestinationis signum est, quemadmodum reprobationis indicium est ejusdem fas-

tidium. «Qui ex Deo est, verba Dei audit.» Joan. 8.

1) Praevia oratione ferventer Spiritus Sancti gratiam implora, ut verbi divini sementis in te aliisque copiosum fructum proferat.

2) Audi concionem attente, sine oculorum evagatione, sine fabulis et nugis, haec enim condiscipulis scandalum praebent.

3) Quod a sacro Ecclesiaste dicitur, non aliis, sed tibi applica: si te conscientia peccati arguit, emendare statue; virtus laudatur, eam assequi propone, nunquam non fructum aliquem referre conare.

4) Non tam ad conceptus et phrases, quam ad rem ipsam attende, et unum saltem, alterumve punctum memoriae manda, ut domesticis, praesertim parentibus referre possis.

5) Finita exhortatione tibi aliisque gratiam pete, conservandi et conferendi omnia verba haec in corde tuo, fructusque proferendi.

PRECES PRO POENITENTIA ET CONFESSIONE SACRAMENTALI.

Ante confessionem.

Praeparatio.

Surgam et ibo ad Patrem meum et dicam: Peccavi in coelum et coram Te, jam non sum dignus vocari filius Tuus. Sed fac me sicut unum de poenitentibus Tuis, et mitte mihi hodie unam solummodo micam de mensa infinitae Tuae misericordiae, ut peccata mea cognoscere, deflere, dignamque de illis poenitentiam agere possim.

Gratiarum actio.

Sed quid retribuam, o clementissime Deus, pro omnibus, quae retribuisti mihi? Ab aeterno me dilexisti, et ut spero, ad aeternam gloriam me praedestinasti. Creasti me, cum non essem,

et postquam perieram, Filius Tuus homo factus, sanguine proprio me redemit; cujus merita adeo copiose mihi applicasti, ut praeter Angeli boni custodiam etiam moderatores procuraveris, qui me in honesta ac liberali disciplina, vera Tui cognitione ac timore, sanctaque fide catholica imbuerent; quid igitur retribuam Tibi pro his et innumeris aliis ad hanc usque praesentem horam in me collatis beneficiis, proque Tua infinita bonitate, quam agnosco ac humillime veneror? Glorifico Te, o clementissime Pater, laudo, benedico, et ex toto corde, quas possum, gratias ago, atque in debitam gratiarum actionem infinita merita et obsequia Filii Tui Unigeniti, una cum meritis Beatae Mariae Virginis, Angeli mei custodis, omniumque Sanctorum divinae Majestati Tuae offero, unice optans et rogans, ut me semper gratum exhibeam.

Luminis petitio.

Per eandem ergo charitatem Tuam, misericordissime Pater, dignare aeter-

nis beneficiis Tuis etiam hoc addere, ut mentis meae tenebras gratia Tuae visitationis illumines, affectum voluntatis inflammes, ac corrobores ad cognoscendum, quidquid cogitatione et affectu, verbis prolatis, et auditis, operibus et omissionibus contra Te, proximum, parentes, superiores, aequales, minores ac memetipsum peccaverim. Adesto mihi Virgo immaculata, tuque Sancte Angele, custos meus, et omnes Sancti Patroni mei, singulariter et vos Sancti poenitentia celebres!

Conscientiae discussio.

O scrutator cordium et renum Deus, qui considerasti semitas meas, et omnes gressus meos dinumerasti, quid Tibi hucusque pro infinitis bonis Tuis reddidi! Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, Te fidelissimo Patre contempto, fodi mihi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas, Te fonte aquae vivae derelicto. Gaudium in creaturis quaesivi, quod in Te solo inveniri potest. Attamen, quomodo in-

telligam ego omnia delicta mea, nisi Tu, Lux vera, illuminaveris tenebras mentis meae? Concede mihi hanc gratiam, o misericordissime Deus meus!

Examina hic, qualis hucusque fueris — in cogitatione, verbo et opere, — erga Deum, te ipsum et proximum. Literarum studiosus praeter alia specialiter inquirat, an tot et tanta divinae bonitatis dona atque industriae subsidia, a parentibus, magistris, propinquis, benefactoribus, amicis suppeditata, et quae eorundem finis est, veram ingenii animique culturam non neglexerit; — an gratum se praestiterit erga Deum, humilem ac devotum, praesertim in aede sacra; — attentum et modestum in schola; — diligentem domi, — verecundum in publico; — humanum, mansuetum ac benevolum erga alios; — veritatis, justitiae et pacis amantem; — sobrium, castum, ab omni juventutis illecebra alienum, et proxima peccandi pericula fugientem; — aut potius ingratum, irreverentem, dissolutum, inhumanum, elatum, mendacem, prodigum, intemperantem, lascivum, monitis Superiorum immorigerum et disciplinae inpatientem se praebuerit, — otio et inertiae diffluxerit; — libidini et malis artibus se dediderit; — innocentiae vitae aut sanitatis pericula temere adierit; — obscoenos et periculosos libros legerit; — pravis sermonibus et exemplis condiscipulos suos aliosve sodales corruperit; illisque proterviae et flagitiorum auctor fuerit; — aut injuriam intulerit; — charitatem fraternam, quae est vinculum pacis, laeserit; — forte aliquem falso criminatus, vel invidia, odio aut verbis malignis prosecutus sit, ludibrio habuerit, percusserit; damnum illatum, contumeliam, obtrectationem, scandalum non reparaverit? etc.

Dolor de peccatis.

Doleo ex toto corde meo, et ex tota anima mea, o Deus! de omnibus peccatis meis, notis et occultis, eademque supra omnia summe execror et detestor:

1) Quia iisdem Te offendi, qui es Majestas infinita, et ne minimo quidem peccato laedenda ob mille mundorum salutem. Quia offendi Te, Deum Patrem meum, qui es infinita potentia, qua me ex abysso nihili eduxisti, corpore, anima, membris, sensibus et potentiis donasti: et ego iisdem abutens contra Te rebellavi. O quanta ingratitudo!

2) Doleo de peccatis meis, quia offendi Te, Fili Dei, qui es sapientia infinita, omnia sciens, omnia penetrans, omnibus semper praesens, et ego Te praesente et spectante, tam foede deliqui. O quanta audacia et insipientia!

3) Doleo de peccatis meis, quia offendi Te, Spiritus sancte, qui es amor et bonitas infinita, cujus gratiam sprevi, quem e corde meo turpiter ejeci, dando

locum diabolo. O quanta perversitas et malitia!

4) Doleo de peccatis meis, quia offendi Te, Jesu Christe, qui es infinita benignitas et clementia, qui pro me tam mira fecisti, tam dira sustinuisti, tantum sanguinis profudisti; et ego toties sanguinem testamenti pollutum duxi, scelera et malefacta rependi. O quis furor! quae rabies!

5) Doleo de peccatis meis, o Deus! quia offendi Te, qui es infinita justitia, qui Luciferum aeterno incendio, totum mundum diluvio, Pentapolim igne sulphureo plexisti, et ego vermiculus Te contempsi, atque ad iram et vindictam provocavi. O quanta temeritas!

6) Doleo de peccatis meis, o Deus! quia offendi Te, qui es infinita misericordia, qui me patrato primo lethali scelere, mox cum diabolis ad inferni voraginem deturbare poteras; sed clementer pepercisti; et ego iterum iterumque peccavi. O quanta ingratitudo!

7) Doleo de peccatis meis, o Deus!

quia Te offendi, qui es infinita amabilitas, infinita suavitas, sanctitas, pulchritudo, dulcedo, perfectio, cui ego voluptatem momentaneam, lucrum exiguum, honorem vanum perfide proposui. O quanta caecitas! quanta stoliditas!

Brevior dolor de peccatis.

O Pater misericordiarum! quid retribui Tibi pro dilectione Tua? Nil, nisi peccata, negligentias, ingratitudines. Utinam nunquam Te offendissem, nec offenderem posthac in aeternum! Tibi soli peccavi et malum coram Te feci. Doleo de his praecipue peccatis N. N. et de omnibus aliis peccatis, negligentiis et offensionibus meis propter Te, infinito amore et honore dignissimum, quem his offendi. O misericordissime Deus! non permittas me damnari, quem Tu de nihilo creasti! O benignissime Deus! recognosce, quod Tuum est, in me, et absterge, quod alienum est a Te, ne perdat me iniqui-

tas mea, quem fecit omnipotens bonitas Tua. O Deus summe! quem amo nunc, et diligo super omnia, et ex hoc ipso, Tui amore, Te offensum ex animo doleo, et erubesco.

Propositum emendationis.

Cupio, mi Deus, proponoque serio, vitam meam emendare, omniaque peccata, et praesertim haec N. N. nunquam amplius committere. Perfice ergo, o Deus cordis mei, hoc quantumvis imperfectum desiderium meum. In satisfactionem peccatorum meorum, et ad impetrandam gratiam Tuam, offero Tibi pretiosam passionem, mortem, et universa merita unigeniti Filii Tui, ejusdemque Virginis Matris, ac omnium Sanctorum opera, universam reliquam vitam meam, et confido in bonitate et misericordia Tua infinita, quod per ejusdem Filii Tui merita, et Sanctorum patrocinia mihi remissurus sis omnia peccata mea, gratiamque uberem largiturus, qua vitam sancte deinceps instituam Tibique perfecte usque in finem serviam. Amen.

Oratio jamjam confessuri.

Scrutator cordium Deus! miserere nunc peccatricis animae meae, ejusque clementer et vincula solve et vulnera sana, da cordi meo contritionem et lacrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate et puritate cordis omnes iniquitates et negligentias meas digne defleam et integre aperiam, fructuque sacratissimae passionis Christi reviviscat anima mea in vitam aeternam. Amen.

Methodus confitendi.

In nomine Patris etc. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, omnibus Sanctis, et tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, praecipue ab ultima confessione mea, facta ante N. me accuso, quod etc.

Peccata confessus conclude:

Praeterea me accuso de omnibus aliis peccatis meis occultis et negligentiis, omissionibus, verbis inutilibus, totius vitae, aliisque hactenus necdum confitendo, aut satisfaciendo sat expiatis, de quibus ex toto corde doleo

amore Dei, quod summum bonum offenderim, propono emendationem, petoque salutarem instructionem, poenitentiam atque absolutionem.

Orationes post Confessionem.

Sit Tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper Virginis, genitricis Tuae, Mariae et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia Tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio pro remissione peccatorum.

Ad Te, benignissime Jesu! revertor, et gratias ago, quod a foeditate pecca torum meorum mundare me dignatus fueris. Vere fidelis sermo est, et omni

acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, e quorum sum numero. Dixeram: Confitebor adversum me injustiam meam Domino, et Tu remisisti impietatem peccatorum meorum. Dirupisti vincula mea et convertisti planctum meum in gaudium mihi.

Sit nomen Tuum, o Jesu! benedictum in saecula. Vere Tu, Jesus, hoc est, Salvator es, qui neminem serio poenitentem, quamvis flagitiosum, a Te, repellis, sed omnes vere contritos in gratiam recipis et in numerum filiorum Tuorum adscribis. Misericordiae Tuae viscera, o Jesu! agnosco et amplector, meque totum servitio Tuo deinceps addico.

Excitatio ad cursum vitae rectius instituendum.

Quantum vero ipsa haec bonitas et misericordia Tua, o mi Deus! excitant me atque impellunt, ut dignos poenitentiae fructus ferre studeam! Audio Te, paterna voce monentem:

Ecce, sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat! Maneant verba haec alta mente reposita, ut semper vigilem et orem, et contra tentationes peccati fortiter dimicem.

Dixi, nunc coepi — et haec mutatio dexterae Excelsi! viam mandatorum Tuorum currere. Resusciter novus homo, qui secundum Deum creatus est, in justitia et vera sanctitate. Ambulabo jam in semitis Tuis, Domine! et renovabor de die in diem. Cum primum somnus fugiet ab oculis meis, misericordiae Tuae recordabor et foederis, quod pepigi Tecum; tum vespere indagabo, in quantum steterim aut defuerim promissis meis; et siquid neglexero, imposterum supplere pro viribus conabor.

Inquietum erat cor meum, Deus! donec denuo requieverat in Te. Replere possunt terrena ista, satiare non possunt. Heu, quoties mentita est iniquitas sibi! Convertens me ad ea, in quibus hucusque delicias quaesivi, ni-

hil video, nisi vanitatem et afflictionem animi, et quam sit misera vitae a Deo alienae ratio, quam vaga, volubilisque fortuna.

Et nonne injusti flante Te perierunt, et spiritu indignationis Tuae consumti sunt? Nonne, ut turbo stipulam, abstulisti eos? Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi: et ecce, non erat; et quaesivi eum, et non est inventus locus ejus. Justus autem, ut palma florebit, et non commovebitur in aeternum.

Quapropter Tibi soli deinceps adhaerebo, bone Deus, et in Te uno ponam omnem spem meam! Nihil me separet a charitate Tua. Blandimenta mundi et juveniles insanias contemnam, primumque munus meum esse ducam, resistere et levitati aetatis meae et sodalium temeritati, — verae sapientiae quod re intellectum est, tantopere infensis.

Inertiam, multorum vitiorum matrem, omnemque peccandi illecebram caute vitabo; quasi a facie colubri fu-

giam a peccatis. Si dicent mihi suasores mali: «Non videbit Dominus»; ex verbo Tuo virili constantia reponam: «Intelligite, insipientes, et stulti aliquando sapite! an, qui plantavit aurem, non audiet? aut, qui finxit oculum, non considerat? non arguet, qui docet hominem scientiam? — Quis est homo, qui non videbit mortem? — Scrutatur renes et corda Deus, et quis est, qui de manu ejus possit eruere? Nihil est opertum, quod non reveletur. — Reddet Deus unicuique secundum opera ejus. — Initium sapientiae timor Domini.»

Ad exercitationes pietatis et virtutis christianae totum me conferam, literarum studiis ferventer incumbam; monitis eorum, quibus informatoribus morum, ac magistris utor, exacte respondebo; ardua quaeque et difficilia, studiis et officiis meis conjuncta, haud metuam: omnique virium contentione

enitar, ut integritate, modestia, doctrina, et morum suavitate aliis praefulgeam, ut, qui vident conversationem et opera mea, spem bonam de me habeant, et glorificent Te Patrem, qui in coelis es.

Imploratio auxilii divini.

Sed quomodo humeris adeo infirmis tam gravia officia sustinebo, cum nihil sit tam molle, tam tenerum, tam aut fragile aut flexibile, quam voluntas sensusque juvenum!

Non me deseres, clementissime Pater! Sufficit mihi gratia Tua, quam effudisti in nos abunde per Jesum Christum, Filium Tuum. Cum jam tanta perceperim, per ea, quae cognosco praestita, discam sperare promissa, et praeteritam praesentemque bonitatem Tuam quasi futurorum teneam cautionem.

Gratiae igitur Tuae, qua omnia possum, mihi vires adde. Illustra mentem meam, lumine sancti Spiritus Tui, quo directore vanitatem et pericula rerum temporalium perfecte cognoscere, de-

sideria carnis reprimere, mundum blandientem spernere, malignum vincere, et contra potestates tenebrarum harum salvus persistere possim. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Psalmi poenitentiales.

I. Psalmus. (6.)

Est pia poenitentis precatio.

Domine, ne in furore Tuo arguas me: neque in ira Tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed Tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam Tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit Tui: in inferno autem quis confitebitur Tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur omnes inimici mei: conturbantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio contra Superbiam.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, et ego vilissimus terrae vermiculus, ego pulvis et cinis, ego peccatorum

maximus, qui millies infernum merui, non vereor, me animo efferre? Propitius esto mihi, Domine, agnosco et detestor execrabilem arrogantiam meam. Ne obsecro, cum superbo Lucifero, ejusque asseclis in gehennae barrathrum me deturbes; convertere et eripe animam meam: adjuva me, et salvum me fac propter misericordiam Tuam. Elegi imposterum abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. (Ps. 82, 11.)

II. Psalmus (31.)

Beatus, qui a peccato liber est.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus Tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum Tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et Tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad Te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri etc.

Oratio contra Avaritiam.

Quid mihi est in coelo, et a Te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum! Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, satiabor, cum apparuerit gloria Tua. Eheu! quod tanto hactenus studio mammonae servivi! Et quid mihi proderit, si universum mundum lucratus fuero, animae vero meae detrimentum patiar? Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et Tu remittes, spero, impietatem peccati mei. Pauperis imposterum miserebor, male parta restituam, et Tuo me servitio ferventius impendam. Tu, Domine, adjuva me, qui reples in bonis desiderium meum. (Ps. 102, 5.)

III. Psalmus (37.)

Describitur miseria peccatoris.

Domine, ne in furore Tuo arguas me: neque in ira Tua corripias me.

Quoniam sagittae Tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum Tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae Tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante Te omne desiderium meum: et gemitus meus a Te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota dic meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in Te, Domine, speravi: Tu exaudisti me, Domine Deus meus.

Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei; et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, de-

trahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri etc.

Oratio contra Iram.

Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam? in hominem, similem sibi, non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur. Quis exorabit pro delictis illius? His verbis mihi, Domine Deus, loqueris per servum Tuum, filium Sirach. Et ego posthac iram aut odium contra quenquam fovere audeam? Parce Domine, parce malitiae, in qua hucusque perseveravi. Ex animo nunc ignosco et remitto, quidquid ullus unquam in me peccavit; supplexque oro, Domine, ne in furore Tuo arguas me, neque in ira Tua corripias me; utinam tanquam surdus imposterum non audiam, et sicut mutus non aperiam os meum, quando inimici mei

contra me insurgunt, et vim faciunt, qui quaerunt animam meam! ne derelinquas me, Domine, Deus meus, ne discesseris a me: quoniam Tu es patientia mea. (Ps. 70, 5.)

IV. Psalmus (50.)

Est pia Davidis poenitentis oratio.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam Tuam:

Et secundum multitudinem miserationum Tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram Te feci: ut justificeris in sermonibus Tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae Tuae manifestasti mihi.

Adsperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem Tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie Tua: et Spiritum sanctum Tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris Tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias Tuas: et impii ad Te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam Tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem Tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate Tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare Tuum vitulos.

Gloria Patri etc.

Oratio contra Luxuriam.

Pater, peccavi in coelum, et coram Te, et jam non sum dignus vocari filius Tuus. Quid faciam miser? Non enim permanebit Spiritus Tuus in homine, quia caro est. Ah, miserere mei, miserere. Quod cum tot reproborum millibus, quos hodiedum abominanda luxuriae pestis in gehennam praecipitat, raptus non sim, infinitae Tuae bonitati adscribo. Ergone iterum peccabo? Iterumne pretiosissimum sanguinem Tuum, o Jesu! in ablutionem scelerum meorum effusum amore bestialium voluptatum conculcabo? Absit, o Jesu! absit, obsecro Te; o Fili castissimae Virginis Mariae, a spiritu fornicationis libera me. Amplius, amplius lava me ab ini-

quitate mea, et a peccato meo munda me. Ne projicias me a facie Tua, et Spiritum sanctum Tuum ne auferas a me.

V. Psalmus (61.)

Oratio est ad avertenda peccati mala.

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad Te veniat.

Non avertas faciem Tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem Tuam.

In quacunque die invocavero Te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota dic exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis Tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes: et memoriale Tuum in generationem et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis Tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen Tuum, Domine: et omnes reges terrae gloriam Tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram adspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni Tui.

Initio Tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum Tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, Tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: Tu autem idem ipse es, et anni Tui non deficint.

Filii servorum Tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri, et Filio etc.

Oratio contra Gulam.

Me miserum! qui Te, Domine Deus, fontem aquae vivae reliqui, et mihi fodi cisternas delectationum terrenarum, cisternas dissipatas: quae cortinere non valent aquas! Vere oblitus sum comedere panem meum, panem vitae, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem, ventremque porcorum siliquis implere studui! Adhuc escae erant olim in ore filiorum Jsrael, cum ira Dei descenderet super eos: Et mihi toties est parcitum, qui cibi potusque intemperantia Tuam, Deus, imaginem et similitudinem brutis non raro similem feci! Utinam imposterum cinerem, tanquam panem manducam, et potum cum fletu misceam! cibusque meus sit, Tuam in omnibus facere voluntatem, qui torrente voluptatis Tuae potabis nos. (Ps. 35, 9.)

VI. Psalmus (129.)

Est oratio, ut a culpa et poena liberemur.

De profundis clamavi ad Te, Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures Tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud Te propitiatio est: et propter legem Tuam sustinui Te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri et Filio etc.

Oratio contra Invidiam.

Sic, mi Deus, dilexisti mundum, ut Filium Tuum unigenitum dares; ut omnis, qui credit in Te, non pereat, sed vitam habeat aeternam. Tu solem Tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos: et ego, dum aliis bene est, invidia exstimuler? Omnia mihi ex voto evenire exoptem, proximi tamen vel minima felicitate con-

trister? O inhumanam malitiam! o virus infernale! Ignosce, clementissime Pater, quod in eo hactenus a me peccatum est. Benigna est misericordia Tua: fac, ut et ego ex hoc momento induam, sicut electus Dei, viscera misericordiae, benignitatem, et super omnia charitatem habere studeam, quod est vinculum perfectionis. (Coloss. 3, 14.)

VII. Psalmus (142.)

Poenitens a via peccati optat reduci.

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate Tua: exaudi me in Tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo Tuo: quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum: me-

ditatus sum in omnibus operibus Tuis: in factis manuum Tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad Te: anima mea sicut terra sine aqua Tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit Spiritus meus.

Non avertas faciem Tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam Tuam, quia in Te speravi.

Notam fac mihi viam, inqua ambulem: quia ad Te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad Te confugi: doce me facere voluntatem Tuam, quia Deus meus es Tu.

Spiritus Tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen Tuum, Domine! vivificabis me, in aequitate Tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia Tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus Tuus sum.

Gloria Patri etc.

Oratio contra Acediam.

Ecquando, mi Deus, ex toto corde meo, et tota anima mea, et ex omnibus viribus meis, uti par est, Te amare et laudare incipiam, qui in charitate perpetua dilexisti me, Tibique me sponsasti in sempiternum? Eheu! Dormitavit anima mea prae taedio. Vae mihi, qui adeo hactenus in Tuo servitio fui tepidus, ut merito formidare possim, ne me incipias evomere ex ore Tuo. Sed parce, Domine: non intres in judicium cum servo Tuo; quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens. Expando manus meas ad Te: anima mea sicut terra sine aqua Tibi. Velociter exaudi me, Domine; defecit Spiritus meus, Spiritus autem Tuus deducet me in terram rectam, et propter nomen Tuum, Domine! vivificabis me.

PRECES PRO COMMUNIONE SACRAMENTALI.

Loco Praemonitionis.

Lectio epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.*)

Fratres, ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel bi-

*) 1. Cor. 11.

berit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.

Ante sacram Communionem.

Oratio praeparatoria.

Domine Jesu, qui carnem et sanguinem Tuum in cibum potumque mihi praeparare dignatus es, in ejusque sumptione passionis et mortis Tuae memoriam recoli voluisti; o Deus coeli et terrae infinite amabilis, et omnium bonorum fons indeficiens! ego, omnium natorum miserrimus peccator et creatura Tua indignissima, volo et intendo hodie ad mensam dulcissimi convivii, pretiosi corporis et sanguinis Tui accedere, cum autem sine gratia Tua hoc exequi non valeam, ante thronum gloriae Tuae humi provolutus, quam

maximo possum amoris, reverentiae et devotionis affectu peto, ut gratiam mihi concedere digneris, huic sanctissimae voluntati Tuae satisfaciendi, uberesque hujus Sacramenti fructus percipiendi.

Offero proinde altissimae Majestati Tuae, de propriis quidem meritis nihil praesumens, sed de Tua solummodo bonitate ac misericordia confidens, ex puro Tui amore ac desiderio Tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi, hanc sacram Communionem imprimis in protestationem supremae Tuae excellentiae, Dominii quoque Tui in omnes creaturas, et meae subjectionis ac dependentiae a Te. In memoriam deinde passionis et mortis Tuae, in gratiarum quoque actionem pro innumeris beneficiis Tuis, quae mihi indignissimo peccatori conferre dignatus es. In propitiationem praeterea et satisfactionem pro peccatis totius mundi, et pro meis specialiter, de quibus summopere doleo, quaeque detestor et abominor super omne detestabile, quia Tibi, sum-

mo omnium bono, omnique amore dignissimo maxime displicent, cum firmo proposito: nunquam amplius Te offendendi, ob infinitam solum bonitatem Tuam, quam intime amo ac diligo, super me ipsum et super omnia. Offero Tibi tandem sacrosanctam hanc Communionem generaliter pro meis et omnium viventium ac defunctorum necessitatibus, peculialiter vero pro obtinenda hac gratia speciali, N. N. Respice ergo benignissime in me, o mi Jesu, et salva me.

Actus Fidei.

Quis mihi det, suavissime Jesu! ut sub candido specierum sacramentalium velamine vultum Tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Quis mihi det, ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum Tuorum, quae oculis fidei in Tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animae meae? O venae salientes in vitam aeternam! infundite, quaeso, super me aquam gratiae, quae sitim meam satiet; ut gaudio repletus, et fide viva imbutus, exclamem cum

Thoma Apostolo: Dominus meus et Deus meus! Credo enim firmissima fide, Te in augustissimo sacramento Corporis et Sanguinis vere praesentem esse Deum meum et Dominum meum, et pro hac assertione millies mori paratus sum. Confirma et augmenta, Domine! fidem hanc meam.

Actus Spei.

In Te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu! quia Tu salus et virtus mea, Tu refugium et firmamentum, Tu fons omnium bonorum es. Quomodo enim auderem Te suscipere, nisi fiduciam Tu mihi praeberes, qui me Tuo sanguine redemisti? De Tua igitur benignitate confisus accedo ad Te, ut ovis morbida ad pastorem; ut infirmus ad medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut Tu me juves, protegas, corrobores et sanes. Miserere mei et salva me, qui nunquam deseris sperantem in Te.

Actus Charitatis.

O quanta vis amoris cor Tuum succendit, amantissime Jesu! cum transi-

turus de hoc mundo ad Patrem, mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis. Amo itaque Te, unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animae, unica mea felicitas, et summum bonum, quo in terris frui licet. Amo Te toto corde, tota mente, tota virtute, atque utinam omni momento Te ferventius semper amarem! O ignis jugiter ardens et nunquam deficiens, ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore Tui! Ignem venisti mittere in terram, accende illum et eventila, ut semper crescat. Te enim amabo, si amandi vires praebueris, et eo amplius amabo, quo uberiorem amandi gratiam infuderis: nunquam tamen Te amabo, ut dignus es.

Actus Desiderii.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Salvator meus, Domine Jesu! Ad Te venio, et clamo post Te,

liberator meus, esuriens et sitiens: Miserere mei, Fili David! et da mihi panem Tuum et vinum, quod miscuisti, ut refocilletur anima mea. Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus et inflammata desideria habere, Teque semper sitire fontem vitae, fontem sapientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis! Utinam Te semper esuriat cor meum, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum; et dulcedine saporis Tui repleantur viscera animae meae! Esto Tu solus gaudium meum, tranquillitas mea, refectio mea, et thesaurus meus, in quo mens mea quiescat. Nihil desiderem extra Te, et omnia mihi vilescunt praeter Te, Deus meus, dulcedo mea, et unicum centrum cordis mei!

Actus Humilitatis.

Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus! Quis es Tu, et quis sum ego, ut digneris venire, et mecum epulari, et mansionem apud me facere? Heu, quanta est dignatio Tua,

quanta miseria et ingratitudo mea? Tu Rex regum, et Dominus Dominantium, qui respicis terram et facis eam tremere: Tu fons sanctitatis, coram quo non sunt Angeli puri: Tu sol charitatis aeternae, qui lucem habitas inaccessibilem, ego vero creatura immunda omnium calamitatum, ludibrio exposita, insanis perturbationum motibus agitata, omni vanitati subjecta, vas contumeliae, filius irae et tenebrarum. Verumtamen respice servum Tuum et suscipe me, quem tam amanter invitas ad Te. Jam enim cognovi, quia sine Te non est salus, nec vita. Projice ergo post tergum Tuum omnia peccata mea, et amplectere me, quamvis indignissimum gratia Tua, ad Te revertentem juxta verbum Prophetae Tui dicentis: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. (Ps. 50, 19,)

Oratio ad Beatam Virginem.

Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea, et unicum solatium languentis animae mea! precor te,

ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimi Filii tui corpus et sanguinem sumam. Ne me despicias, Mater misericordiae! ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem, neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit. Plena es gratiarum, plena rore coelesti, innixa super dilectum tuum deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de superfluenti mensa tua, tuarumque virtutum vestibus indue me, ut his ornatus divino conspectui gratus appaream.

Oratio ad Sanctos Angelos.

Sancti Angeli, purissimi Spiritus Dei altissimi, qui facitis voluntatem ejus, et orantium preces in coelum defertis: tu praecipue, fidelissime Custos meus, et sancte Archangele Michael! State mecum juxta aram, de qua pretiosissimum Corpus et sanguinem Jesu Christi sumpturus sum. Vestris thuribulis incensum orationum mearum suscipite, ut ascendat super manus vestras in con-

spectu Dei. Purgate, illuminate, perficite et dirigite me, et per vestram puritatem et innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram Deo decenter ornatus.

Oratio ad omnes Sanctos.

Sancti Dei, omnes cives supernae patriae! tuque praesertim magni consilii et auxilii Patrone Sancte Joseph! inclinate aures vestras, dimittite lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo, pauper, nudus, et infirmus, cui omnia desunt ornamenta virtutum. Ad vos clamo, et vestram imploro benignitatem. Succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri; induite me veste nuptiali; ornate donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae Majestatis.

Ad conspectum sacrosanctae Hostiae.

Ecce Deus ad me, ad creaturam Creator, ad mancipium Dominus, ad pro-

digum et protervum filium indulgentissimus Parens! Nec oculos ad Te, nec cor audeo levare, Pater sancte! quia peccavi in coelum et coram Te. Non sum dignus vocari filius Tuus. Prostratus igitur, sacris pedibus provolutus, vestigia Tua pie deosculor, ac aeternam subjectionem, servitiumque perenne Tibi addico. Parce pro ineffabili clementia Tua: parce, quidquid unquam in anima mea vitia deprehendisti. Doleo, (utinam dolore omni possibili!) Te Deum meum, ipsum infinitum in se bonum, a me unquam offensum.

Quando tamen Te Patrem esse scio, et oculos levo et cor meum, (o si Tibi omnimode acceptum! o si semper Tuum,) totum humillime defero. Profiteor Te Deum meum, Tibi cultum divinum supplex pendo, Tibique uni me totum substerno; calcent pedes Tui cervicem meam, et quidquid calcaveris, Tuum esto. In Te, Domine! spes et salus mea; a Te vires, vitam et omnia, Tua fretus bonitate, spero.

Amplector beatissimos pedes Tuos,

Teque prae bonis omnibus diligo, dulcis Jesu, summum bonum! ne, quaeso me ab hoc miseriae meae asylo, ab hac ara misericordiae retrahi sinas.

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, et sanabitur anima mea.

In perceptione Sacramenti dic:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Preces post sacram Communionem.

Aspirationes post Communionem:

Salve mi dulcissime ac potentissime hospes, Domine Jesu Christe, diu desiderate, anxie quaesite, sollicite adamate, saluto Te ex intimis animae meae visceribus; adoro Te cum Patre et Spiritu sancto apud me indignissimum commorantem. Benedic anima mea Domino,

et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Jam habeo Te, qui habes omnia; possideo Te, qui potes et possides omnia. Quid negabis mihi, cui fontem bonorum omnium dedisti? Reforma vires animae meae, da ut clara cognitione, stabili cogitatione, et ardentissimo amore Tibi aeternum adhaeream. Omnem amorem, omnem affectum in Te refundo, habeto clavem cordis mei, ut ingrediaris pro Tuo arbitrio. In Te uno fixum sit cor meum, pretiosissime Jesu, amore mei crucifixe! Sentiat praesentiae Tuae dulcedinem mens mea: ut inescata amore Tui, extra Te velit nihil, in quo gaudeat. O vulnera, o latus Christi! animae Paradise, haurio hinc cum sancto Joanne Chrysostomo sanguinem et merita Domini mei.

Actus Amoris.

Amo Te, Domine Jesu! jucunditas mea, et requies mea! Amo Te, summum et unicum bonum meum! ex toto corde, tota mente et ex tota anima,

ex totis viribus meis, et si Tu vides, me in hoc deficere, saltem desidero amare Te: et si satis id non opto, saltem desidero id multum desiderare. Succende, Domine, igne Tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem non nisi amorem petis a me, da quod jubes, jube, quod vis. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animae meae: in Te enim sunt omnia bona et jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut unquam cessem amare Te. O corpus sacratissimum quinque vulneribus sauciatum! pone Te ut signaculum super cor meum, et imprime illi charitatem Tuam: obsigna manus, ut bona semper opera exerceam: obsigna latus, ut ferventissimos amoris Tui actus proferam in aeternum. O sanguis pretiosissime! qui omnem hominem abluis et purificas; ablue animam meam, et pone signum in faciem meam, ut nullum praeter Te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei, et vita animae meae! sicut Tu in Patre, et Pater in Te est; ita ego per

gratiam Tuam unus Tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit, et ego mundo. Amen.

Gratiarum actio.

Gratias Tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum Tuae mensae convivium. Et quis sum ego, pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor Tuum, inclinans coelos et descendens, ut sanguine Tuo purissimo sordes meas lavares, et deficientem prae fame animam meam non manna de coelo, sed carne Tua immaculata reficeres et satiares? Si coeli coelorum Te capere non possunt, et Angeli non sunt mundi in conspectu Tuo, quis ego sum, et quae domus mea, ut ad me venire, et in me commorari volueris? Quid quaeso in me invenisti, Rex tremendae Majestatis! quod a templo gloriae Tuae traheret Te, et descendere faceret in abyssum miseriarum? Sed Tu, Domine miserator et clemens et immensae bonitatis! Tu nosti figmentum meum, nec despicies humillimam gratiarum actio-

nem, quam Tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit Te. Tua est magnificentia, Tua est gloria, et Tibi laus in perpetuas aeternitates. Pro tam excelso, et incomparabili beneficio Tibi laudes concinant, Tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes Angeli et sancti Tui, quoniam misericordia Tua magnificata est super me, et miserationes Tuae super omnia opera Tua. Jubilent Tibi omnes creaturae, quaecunque coeli, terrae et abyssi ambitu continentur, laudem Tibi perpetuam dicant, quae a Te exiens, in Te refluat, omnium rerum principium et finem. Jubilent Tibi, et gratias agant cor meum, anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei: Tibique soli sit honor, et gloria, a quo, per quem, et in quo sunt omnia, qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio.

Servus Tuus ego sum, Domine, Deus meus, et pro tributo servitutis meae

aliquid Tibi offerre vellem, quod Majestate Tua dignum, et acceptabile foret. Sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum Tibi debeo, quantum Tu vales, qui infinitus es; ex me quidem nihil possum, nihil sum: habeo tamen ex gratia Tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum Filium Tuum, Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo, et ille in me sit: quare verba Prophetae Tui aptissime usurpabo et dicam: B e n e d i c a n i m a m e a D o m i n o, e t o m n i a, q u a e i n t r a m e s u n t, n o m i n i s a n c t o e j u s. (Ps. 102, 1.) Ipse enim Filius Tuus digne pro me nomini Tuo benedicet, Teque amabit et glorificabit, nam intra me sacramentaliter existens factus est unus mecum, et ego unum cum illo. Ipsum igitur offero Tibi velut thymiama suavissimi odoris, ad maximam Tui gloriam, et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis Tuis in remissionem peccatorum meorum et totius mundi;

ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi, et orare teneor, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus fidelium defunctorum. Suscipe, Domine! cum hac sacratissima oblatione, animam meam et corpus meum, omnes vires, et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestati Tuae. Praesta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut Te amem et serviam Tibi.

Petitio ad Christum.

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore Tuo immaculato et pretiosissimo sanguine refecisti; ignosce, obsecro, indignitati meae, et quidquid deliqui in hujus venerabilis Eucharistiae sumptione, misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor praesumptionem meam, quia tremendum Mysterium accedere ausus sum sine debita praeparatione, reverentia, humilitate, et charitate. Respice in me,

oculis misericordiae Tuae, et supple excessu meritorum Tuorum meam nimiam imperfectionem; riga me lachrymis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris Tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor Tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat, abscedat phantasmatum multitudo, totum me in Te transforma, ut in Te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam, nisi in Te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce Tua esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu a Te recedere, sed operare mecum mirabilia Tua, sicut cum Sanctis Tuis operatus es; et fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita vi amoris Tui, ut sim Tecum consummatus, Tibi soli unitus, et abstractus a me ipso et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis Tuis, pro quibus obtuli hanc sacram communionem,

dare digneris pacem et sanctam benedictionem. Benignissime Jesu! converte miseros peccatores ad Te, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles Te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis, qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam, et gratiam; da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

Oratio ad Jesum.

Quidquid agam, Jesu auspice agam: vigilabo, in oculis meis Jesus erit; dormiam, Jesum somniabo; ambulabo, comes erit Jesus; sedebo, latus claudet Jesus; scribam, calamus Jesum formabit; esuriam, sitiam, Jesus pascet et potabit; aegrotabo, amor meus aderit medicus Jesus; morior, Jesu immoriar meo; Jesu sinus mihi tumulus, tumuli inscriptio, Jesu nomen erit.

Omnia in Jesu, cum Jesu et per Jesum; sine Jesu nihil, Jesus omnium actionum mearum principium et finis. Amen.

Oratio ad Ss. Vulnera Christi.

Rogo Te, Domine Jesu, per illa salutifera quinque vulnera Tua, quae passus es in cruce pro salute nostra: e quibus emanavit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti. Vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es; vulnera eam igneo et potentissimo telo Tuae nimiae charitatis: confige cor meum jaculo Tui amoris, ut dicat Tibi anima mea: charitate Tua vulnerata sum: ita, ut ex ipso vulnere amoris Tui uberrimae fluant lachrymae die ac nocte. Percute, Domine! percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis Tuae, et altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Beatam Virginem.

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria! quia dignum objectum oculorum Tuorum nunc factus sum. Loquere bonum pro me dilectissimo Filio tuo, qui me corpore et sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua, in supplementum imperfectionis meae. Gratias age ei pro me, et impetra mihi, ut Sacramentali sua praesentia, non discedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

Oratio ad Sanctos Angelos.

Angeli sancti, Ministri Dei altissimi! facientes semper verbum illius, aspicite Primogenitum Patris aeterni, quem introeuntem denuo in orbem terrarum jussu Patris sui adorastis, et facite me in eo spiritu et veritate illi servire, qua vos eidem in hac vita ministrastis et nunc in coelesti patria servitis.

Oratio ad omnes Sanctos.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos

praesertim Patroni et protectores mei, N. N. aspicite Magistrum, Auctorem et proemium Sanctitatis vestrae, ac universam vestram felicitatem; intra viscera mea manentem, mihique ab ipso, cui vos tantopere, verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate; ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem, plenus meritis, ad vestram merear consortium pervenire.

Conclusio Actuum.

Recedo nunc modicum, Domine Jesu! sed non sine Te, consolatio et omne bonum animae meae, et me amplissimae dilectioni Tuae cum omnibus fratribus, amicis, et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et nos transforma simillime in Te. Totus occuper in Te, et propter Te, nihilque sit objectum verborum et actionum mearum internarum et externarum, nisi Tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Commendatio sui.

Totum me, Domine Deus! in sinum benignissimae providentiae et voluntatis Tuae transfundo, laetusque in sanctissimo beneplacito Tuo conquiesco. Tu de vita, omnibusque rebus meis dispone, quomodocunque pro majore Tua gloria Tibi libitum fuerit; id unum summis a Te precibus efflagito, ne unquam permittas me separari a Te; praestaret aeternas gehennae subire poenas, quam Te vel semel offendere. Excita proinde et conserva in me fidem vivam, spem firmam et ardentem charitatem, meque deduc per viam mandatorum Tuorum, donec transeam in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

Petitio Benedictionis.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi, semper et in omnibus, Tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Affectus pii, die Communionis, usurpandi.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.

Benedictum sit sanctissimum Altaris Sacramentum.

Manc nobiscum, Domine, quoniam advesperascit.

Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me munet, et ego in eo. O quanta felicitas!

Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

Vivat Jesus Eucharisticus!

Amo Te, Jesu suavissime! prae omni dulcedine et gustus suavitate.

Amo Te, Jesu castissime! supra omnes carnis illecebras et voluptates.

Amo Te, mi Jesu! prae omnibus mundi divitiis et honorum titulis.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me,

Passio Christi conforta me,
O bone Jesu, exaudi me,
Intra vulnera Tua absconde me,
Ne permittas me separari a Te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis Tuis laudem Te,
In saecula saeculorum. Amen.

Pia Paraphrasis in hanc Orationem Sancti Ignatii.

Anima Christi, omnibus sancti Spiritus donis et charismatibus exornata, sanctifica me, per fidem vivam, per spem firmam, per charitatem perfectam, quam nec tribulatio, nec angustia, nec mors ipsa dissolvat. O anima, quae per naturalem informationem Christi es, sis etiam per gratiosam assistentiam et operationem mea, piisque cogitationibus et affectibus sanctifica me. Esto animae meae anima et vita: quia sine Te omnis vita mors est.

Corpus Christi, quod non solum in mortem acerbissimam, verum etiam in saluberrimum animae nostrae cibum, et immortalitatis pharmacum jugeque sacrificium traditum est, salva me, O divinum caput, in pro omnes sunt thesauri sapientiae et scientiae Dei, rege me! O benignissimi oculi, toties pro me lachrimis perfusi, respicite me! O Salvatoris lingua, quae verba vitae aeternae habes, doce me! O potentissimae manus, quarum attactu morbi pulsi, caeci curati, mortui resuscitati, tollite omnes languores et morbos tum corporis tum animae meae, caecitatem pellite, vitamque gratiae restituite! Quis mihi det, o speciosi pedes, o paterna genua, toti mundo salutem afferentia, ut cum Magdalena vos amplectar, et deosculer, veniamque peccatorum meorum apud vos inveniam? O amabilissimum pectus! o Divinitatis sacrarium! o amoris altare! jungere cordi meo, illudque amore inflamma! Sic mihi vivere Christus erit, et mori lucrum.

Sanguis Christi, totus amore mei effusus, inebria me; ut amorem amore compensare, mortemque pro morte subire, et usque ad sanguinem peccatis generose semper resistere adnitar.

Aqua lateris Christi, ex aperto latere profluens, lava me. Amplius lava me, et a peccato meo munda me; ut per apertum Christi pectus ad cor ejusdem amplexandum admitti merear.

Passio Christi, o fortissima passio! quae omnia peccata nostra pertulit, conforta me; et contra omnes adversitates confirma me, viresque tribue, ut contumelias et injurias pro Domino meo Jesu Christo forti et alacri animo sustineam.

O bone Jesu, omnis bonitatis fons et origo, exaudi me, quamvis magnum peccatorem; Tua enim benignitas et gratia etiam peccatores exaudit, vere contritos et humiliatos,

Dilata benignitatis Tuae viscera, et intra Tua vulnera, quae asylum miserorum constituisti, absconde me,

ne praeda hostium fiam, aut in manus offensi Domini mei incidam. Hic securus latebo, hic misericordias Tuas, o bone Jesu! in aeternum cantabo.

Ne permittas scelerum meorum multitudine et gravitate offensus, me separari a Te. Id oro per sacratissima vulnera, per pretiosissimum sanguinem, per acerbissimam passionem et mortem Tuam! Nam a Te separatus mox audire cogerer: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. Proinde iterum iterumque supplex oro, mi Jesu, ne in aeternum permittas me separari a Te.

Ab hoste maligno, qui tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret, defende et protege me: ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum.

In hora mortis meae, quando ab omnibus creaturis deserar, quando trepidus ex instabili hoc mundo ibo in domum aeternitatis meae, voca me, perditam ovem Tuam, quae toties vo-

cem Tuam audire renuit; voca, inquam, me, licet indignum nomine ovis Tuae, nam oves Tuae vocem Tuam audiunt: voca me nihilominus, non meis meritis, sed Tua permotus misericordia, quae enim utilitas in sanguine meo, si descendero in corruptionem?

Et jubo me venire ad Te, summum et unicum bonum meum, ad cujus fruitionem creatus sum: jube me venire ad Te, qui omnes vocas ad Te, et solus mihi sufficis. Quid enim mihi est in coelo, et a Te, quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum?

Ut cum Sanctis Tuis, licet illorum consortio sim indignus, a Tua tamen infinita bonitate ad illud admissus laudem Te, Deum Salvatorem meum.

In saecula saeculorum. Amen. Ecquando veniam, mi Jesu! et apparebo ante faciem Tuam?

Septem adorationes, orationesque septem ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

1.

O Jesu, mi Deus et Salvator, aeterni Patris Fili unigenite! per illum maerorem et angustiam cordis, quam instante passionis Tuae tempore in monte Oliveti sustinuisti, rogo Te, ut in omnibus afflictionibus meis me conformem sanctissimae voluntati Tuae, et salutarem fructum percipiam hujus sacratissimi Sacramenti.

2.

O Jesu! Redemptor meus, verus Deus et verus homo, adoro Te, ex toto corde meo, sub hoc sanctissimo amoris Sacramento mirabiliter absconditum, et rogo Te per infamem alapam, quam in domo Annae cum intimo dolore pertulisti, ut mihi des robur et zelum tuendi honoris et gloriae Tuae, quam in hujus Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti my-

sterio pro salute hominum revelare voluisti pro toto tempore vitae meae.

3.

O Jesu, Sol justitiae, fons et origo omnis luminis, adoro Te sub his speciebus velatum et contectum, et per omnia tormenta, quae in domo Caiphae in illa cruenta et funesta nocte sustinuisti, quando oculis et facie velabaris, colaphizabaris, et innumerabilibus aliis calumniis afficiebaris, doce me omnes peccandi occasiones vitare, et illumina me, ne unquam peccati tenebrae me comprehendant.

4.

O Jesu, paradise amoris et deliciae Patris aeterni, adoro Te fontem et plenitudinem amoris in hoc Sacramento erga genus humanum, ubi expectas accedentes ad Te cum omni dulcedine et desiderio satisfaciendi petitionibus eorum; rogo Te per accusationes, poenas, tormenta, quae in praetorio Pilati patienter pertulisti, ut omnes hujus mundi vanitates, delicias, et allecta menta despiciam, et omnia coelestia

atque divina mysteria semper honorem et suscipiam.

5.

O Jesu, Rex regum et Dominus Dominantium, adoro Te sub candore hujus sacratissimae Hostiae absconditum, et rogo per illam albam vestem, qua in palatio Herodis per irrisionem indutus fuisti, ut mihi enormia et infinita peccata mea adversus Majestatem Tuam commissa misericorditer dimittas, et animam meam admirabili gratiae Tuae candore vestitam Tibi gratam conserves.

6.

O Jesu, creaturarum omnium supreme et justissime judex! Te in hoc sacratissimo Eucharistiae Sacramento supplex adoro, et rogo Te per omnia tormenta, quae sustinuisti, quando ad columnam ligatus flagellabaris, spinis coronabaris, et innumerabilibus aliis opprobriis affectus a Pilato ad mortem injuste condemnabaris, ut de aliis personis semper bene sentiam, meipsum autem nihili faciam, ad imitationem Tuae humilitatis et aliarum virtutum

Tuarum; quas tota vita Tua, praesertim vero tempore Tuae acerbissimae Passionis homines docuisti.

7.

O Jesu, vita, splendor et deliciae omnium creaturarum! adoro Te supra montem Calvariae crucifixum, et in hoc sanctissimo Sacramento oblatam veram amoris victimam, et per totam amarissimae passionis Tuae consummationem, oro Te, ut largiaris mihi vitam et gloriam sempiternam, ad Te benedicendum, laudandum pro omnibus gratiis Tuis in aeternum.

Laudetur venerabile Sacramentum et immaculatissima Virgo sine labe concepta filia Dei Patris!

Laudetur venerabile Sacramentum et immaculatissima Virgo sine labe concepta Mater Dei Filii verbi incarnati!

Laudetur venerabile Sacramentum et immaculatissima Virgo, sine labe concepta, Sponsa Spiritus sancti Paracliti, Sacrosanctissimum Trinitatis templum!

Actus Fidei, Spei Charitatis et Resignationis coram Venerabili.

O Sapientia infinita! o aeterna Veritas! o Bonitas immensa! quae nec falli, nec fallere potes, credo in Te, et credo Tibi in omnibus, quae revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. Inprimis vero credo, Te in sanctissimo hoc Sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, omnibusque sensibus meis. Et pro hac fide per Tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in Te, o Bonitas infinita, Teque per inexhaustam misericordiam Tuam et pretiosissima merita, veniam et gloriam mihi promissam, daturum confido.

Amo et amabo Te, et omnia, quae Tu amas, propter Te, o fons infinite omnis boni, quia Tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate Tua, et de omni

obsequio, laude, honore, et gloria, Tibi ab electis Tuis et creaturis omnibus unquam reddita, et in aeternum reddenda.

Te, Tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris, et pietatis affectu veneror, et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in Te solum transfero.

Quidquid egero in omnem aeternitatem, aut passus fuero, cedat ad Tuam gloriam.

Totus sum Tuus, fac de me, quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

PRECES DIVERSI ARGUMENTI.

(Praecipue in diebus Dominicis et festivis.)

Symbolum, quod dicitur S. Athanasii.

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres aeterni; sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii; sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam sa-

lutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Aequalis Patri secundum divinitatem; minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, et homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae sed unitate personae.

Num sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra,

descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec est fides catholica: quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Benedictus es, Domine in firmamento coeli.

℟. Et laudabilis et gloriosus, et super exaltatus in saecula.

℣. Benedicat nos, Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.
℟. Et metuant eum omnes fines terrae.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℣. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis Tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quaesumus; ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

℣. Benedicat nos divina Majestas et una Deítas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.
℟. Amen.

Oratio, continens praecipuos religionis actus.

Credo Domine; sed credam firmius! spero Domine; sed sperem securius! amo Domine; sed amem ardentius! Doleo Domine; sed doleam vehementius!

Adoro Te, ut primum principium; desidero, ut finem ultimum; laudo, ut benefactorem perpetuum; invoco Te defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero Tibi, Deus meus, cogitanda, ut sint ad Te; dicenda, ut sint de Te; facienda, ut sint secundum Te, ferenda, ut sint propter Te.

Volo, quod vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, Domine! intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

Defleam praeteritas iniquitates! repellam futuras tentationes! corrigam vitiosas propensiones! excolam idoneas virtutes!

Tribue mihi, bone Deus, amorem Tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire; inferioribus subvenire; amicis consulere; inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me, prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine! ut sim, in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem.

Assidue invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Discam a Te: quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, Paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oblatio sui sanctissimae Trinitati.

I. Deo Patri.

O clementissime Pater! Pater misericordiarum et Deus totius consolationis! En ego vilissimus terrae vermiculus, qui non sum dignus vocari filius Tuus, solis unigeniti Filii Tui, Redemptoris mei Jesu Christi, infinitis meritis confisus, sisto me divinae majestati Tuae, Creatori ac Domino meo: corpus quoque et animam meam et quidquid in me est (quae omnia Tua dona agnosco) lubens Tibi in sacrificium sempiternum trado et consecro. Suscipe ergo hanc qualemcunque oblationem in unione sacrosancti istius sacrificii, quod dilectus Filius Tuus in ara crucis Tibi obtulit. Respice in faciem Christi Tui, et imaginem Tuam ad hujus ideam factam in me agnosce. Hujus dignitas meam excuset vilitatem, hujus sanctitas meam compenset malitiam, faciatque, ut perpetua charitate Tibi conjunctus vivam ac moriar. Amen.

II. Deo Filio.

O benignissime Patris omnipotentis Fili! splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis Tuae! Qui, cum in forma Dei esses, Temetipsum humiliasti, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; ut me, sathanae mancipium, aeternae damnationis reatu eriperes, quid retribuam Tibi, Domine Jesu! pro omnibus, quae retribuisti mihi? an non me totum Tibi debeo, qui me gehennae ignibus destinatum, perditumque Patris Tui gratiae, aeternaeque saluti restituisti? Suscipe me, Jesu! suscipe pignus Tuum, nimis, eheu, caro redemptum: suscipe, quod absque eo Tuum est; Tuae enim omnipotentiae opus est, quidquid in me reperitur. Suscipe illud et conserva, ne pereat infinitum sacratissimi sanguinis Tui pretium. Amen.

III. Deo Spiritui sancto.

O sancte Spiritus, qui a Patre, Filioque procedis, ejusdem cum Patre et

Filio Deitatis, substantiae ac gloriae! O vita et solatium animae meae! In Te per aquam baptismatis me coelo renatum, per Te in fide me Tibi, Deo meo, desponsatum, a Tuae virtutis ac bonitatis influxu ac praesidio me gubernari ac defendi agnosco. Quid innumeris Tuis beneficiis rependam? Cum nec ego quicquam inter res creatas me ipso charius habeam, nec Tu aliud extra me postules? Accipe cor meum, sensus meos, et omnia, quae in me sunt. Tu me, o aeterni amoris vinculum! Tecum et cum Patre, Filioque colliga, Tuisque flammis, accende, ac purifica, ut Tibi casto corpore serviam, et mundo corde semper placeam. Amen.

Gratiarum actio ad sanctissimam Trinitatem.

Agnosco, o sanctissima Trinitas! innumera et immensa beneficia, quae a primo conceptionis momento in praesentem usque horam a Te mihi collata sunt, pro quibus Tibi ex omnibus viribus meis gratiam ago. Gratias Tibi, o

Pater! quod me ad imaginem et similitudinem Deitatis Tuae condideris, et identidem conserves; ut Te, Tuumque Filium, ac Spiritum sanctum cum electis Angelis Tuis aeternum laudem ac possideam. Gratias Tibi, o Fili! quod naturam meam amore mei assumpseris: sanguinem Tuum pro me effuderis, mortemque acerbissimam subieris, ut aeternae morti ereptum Patri Tuo reconciliares. Gratias Tibi, o sancte Spiritus! quod per lavacrum regenerationis Te mihi infuderis, sanctificaveris, aeternique regni feceris haeredem. Quibus modis, o sanctissima Trinitas, juxta Majestatis Tuae beneplacitum; Tibi gratias referam? Vos, o beati Spiritus, o Electi Dei, tuque inprimis, quam beatam praedicant omnes generationes, benedicta inter mulieres, Virgo et Mater! laudes et gratiarum actiones vestras pro me offerte; non enim omnia membra mea, si in linguas verterentur, sufficerent, debitis Tibi, Deo meo, Trino et Uni, gratiis referendis.

Amor erga sanctissimam Trinitatem.

O dulcis amor meus! o omne bonum et desiderium meum! qui fieri potest, ut ulla sit creatura, quae Te non amet? Amo Te, mi Deus, amo Te ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis; gaudeo de Tua gloria, et majestate, Tibique illam faveo, ut ego perire malim, quam Te vel minimam illius boni, quod es, jacturam facere: si quid in me esset, quo Tu careres, id omne Tibi lubens, volens traderem. Sed Tu, Domine, mi Deus, fons es bonorum omnium, ex quo profluxit, quidquid extra Te boni uspiam fuit, est, et erit. Quis Te non amet, o dulcis amor, o unicum et omne bonum, solum amore dignum? O amor, qui semper uris, et nunquam tepescis, accende me, et accendar: accendar, inquam, ut totus diligam Te solum. Minus enim Te amat, qui Tecum aliquid amat, quod propter Te non amat. (S. August. Soliloq. cap. 28.)

Commendatio sui.

Totum me, Domine Deus, in sinum benignissimae providentiae et voluntatis Tuae transfundo, laetusque in sanctissimo beneplacito Tuo conquiesco. Tu de vita, omnibusque rebus meis dispone, quomodocunque pro majore Tua gloria libitum fuerit. Id unum summis a Te precibus efflagito, ne unquam permittas me separari a Te; praestaret aeternas gehennae subire poenas. Excita proinde et conserva in me fidem vivam, spem firmam, et ardentem charitatem, meque duc per viam mandatorum Tuorum, donec transeam in locum Tabernaculi admirabilis; usque ad Domum Dei. (Psal. 41, 5.)

Benedicat mihi indignissimae creaturae suae Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Oratio pro qualibet re a Deo impetranda.

Omnipotens, sempiterne Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bo-

nitatis infinitus est thesaurus. En ego peccator, (qui tamen ex intimo corde nunc doleo, quod Te clementissimum Patrem meum unquam offenderim), cum filiali fiducia infinitam Majestatem Tuam supplex accedo: ne, quaeso, me, quem ex infinita potentia Tua ex nihilo creasti, ex summo amore in filium et haeredem coelestis gloriae adoptasti, ex immensa bonitate morte unigeniti et aeterni Filii Tui, ab aeterna damnatione liberasti, ne obsecro, me, cui haec omnia licet indignissimo praestitisti, a facie Tua repellas. Per ineffabilem misericordiam Tuam, qua gravissimos etiam peccatores vere contritos in momento ex abysso omnium scelerum extraxisti, per merita dilectissimi Filii Tui, Domini nostri Jesu Christi, per ardentissimam Spiritus sancti charitatem, qua Te Patrem cum Filio complectitur; per beatissimam Virginem Mariam, a Te in Filiam, a Filio Tuo in Matrem, a Spiritu sancto in sponsam ab aeterno electam et praeordinatam; per omnium denique Angelorum et Sanc-

torum merita ac laudes suppliciter oro, ut miserearis mei, Tuamque ad preces meas aurem inclines.

O clementissime Pater! aperi thesauros inexhaustae bonitatis Tuae, meque infinitae liberalitatis Tuae fac esse participem. Inprimis hanc peto gratiam N. N.; si saluti animae meae autem non proderit, nega eam mihi, in omnibus enim fiat sancta Tua voluntas. Amen.

Pater noster etc.

Paraphrasis Orationis dominicae ex Epistolis S. Pauli.

Pater noster, qui es in coelis.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis; qui praedestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum; solus habens immortalitatem et lucem inhabitans inaccessibilem, cum gaudio gratias agimus Tibi, qui dignos nos fecisti sortis

Sanctorum in lumine. Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei, si autem filii; et haeredes: haeredes quidem Dei; cohaeredes autem Christi.

1. Sanctificetur nomen Tuum.

Da, ut imitatores Tui simus, sicut filii charissimi, et digne Evangelio Christi conversemur, in omni bonitate et justitia et veritate, ne nomen Tuum per nos blasphemetur inter gentes; ut simus sine querela, et simplices filii Tui, sine reprehensione in medio nationis pravae atque perversae, tanquam luminaria in mundo, verbum vitae continentes, ad gloriam Tuam in die Christi; in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei. Da, ut, sive manducamus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam Tuam faciamus.

2. Adveniat regnum Tuum.

Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; hinc flectimus genua nostra ad Te, Patrem Domini nostri Jesu Christi; ut des nobis secundum divitias gloriae Tuae corroborari per Spiritum Tuum in interiori homine, Christumque habitare per fidem in cordibus nostris, ut non regnet peccatum in mortali corpore nostro. Tu enim eripuisti nos de potestate tenebrarum, et transtulisti in regnum Filii dilectionis Tuae. Scimus autem, quod, si terrestris domus nostra dissolvetur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Dum autem sumus in corpore, peregrinamur a Domino; ideo cupimus dissolvi et esse cum Christo.

Propter quod non deficimus. Sed licet is, qui foris est, homo noster corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est, momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus

operatur in nobis, non contemplantibus, quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna.

3. Fiat voluntas Tua.

Tu es, Domine, qui operaris in nobis velle et perficere. Itaque fac, ut impleamur agnitione voluntatis Tuae, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambulemus digne, Tibi per omnia placentes, haec est enim voluntas Tua, sanctificatio nostra.

Nolimus conformari huic saeculo, sed reformemur in novitate sensus nostri, ut probemus, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum; neque ambulemus, sicut et gentes ambulant, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, semetipsos tradentes impudicitiae; sed veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput nostrum, Christus.

4. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Est magnus quaestus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possimus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

Sint ergo mores nostri sine avaritia, contenti praesentibus. Tu enim dixisti: Non te deseram neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor; qui enim administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit. Nihil solliciti simus, sed ubique et in omnibus instituti, sciamus saturari et esurire, abundare et penuriam pati. Ante omnia vero exerceamus nos ad pietatem, quae ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.

Da nobis non sperare in incerto divitiarum, sed in Te Deo vivo, qui praestas nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, libenter com-

municare, thesaurizantes nobis fundamentum bonum in futurum, ut apprehendamus vitam aeternam.

5. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Heu, quam saepe exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato, et divitias bonitatis, patientiae et longanimitatis Tuae contempsimus, non curantes, quoniam benignitas Tua ad poenitentiam nos vocat!

Sed veniat, Pater benignissime, super nos misericordia Tua! Ecce, remittimus et aliis minas, ut Te Dominum nostrum in coelis propitium habeamus. Tu nobis quoque, electis Tuis, largire viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, ut simus invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Tu in Christo donasti nobis; nulli malum pro malo reddentes, sed, si fieri potest, quod in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Nec

sinamus nos vinci a malo, sed vincamus in bono malum. Quae pacis sunt, fac, sectemur, et quae aedificationis sunt, invicem custodiamus.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

Memores fragilitatis nostrae rogamus Te, Pater, ut tentatio nos non apprehendat, et quod nolumus malum, hoc faciamus; ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus nostri et excidant a simplicitate, quae est in Christo Jesu. Non habitet in carne nostra bonum, at sufficit nobis gratia Tua. Fidelis es Deus; non patieris nos tentari supra id, quod possumus, sed etiam facies cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

7. Sed libera nos a malo.

Confirma nos et custodi a peccato, quod est summum omnium malorum. Da, ut induamus armaturam Tuam, ut possimus stare adversus insidias diaboli, et resistere in die malo, et in

omnibus perfecti stare. Non simus fidentes in nobis, sed in Te, Deus. Ideoque confidimus hoc ipsum, quia, qui coepisti in nobis opus bonum, perficies usque in diem Jesu Christi. Amen.

Pia ad Jesum oratio.

O bone Jesu, o piissime Jesu, o dulcissime Jesu, o Jesu, fili Mariae Virginis, plene misericordia et pietate! o dulcis Jesu! secundum magnam misericordiam Tuam miserere mei. O clementissime Jesu! Te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me respicias miserum et indignum, humiliter veniam petentem, et hoc nomen sanctum Jesu invocantem. O nomen Jesu, nomen dulce! nomen Jesu, nomen delectabile, nomen Jesu, nomen confortans! Quid est enim Jesus, nisi Salvator! Ergo, Jesu! propter nomen sanctum Tuum esto mihi Jesus, et salva me: ne permittas, me damnari, quem Tu de

nihilo creasti. O bone Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas Tua. O dulcis Jesu! recognosce re, quod Tuum est, et absterge, quod alienum est. O benignissime Jesu! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me, in tempore judicandi. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendero in aeternam corruptionem? Non mortui laudabunt Te Domine Jesu! neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu! o desideratissime Jesu, Jesu! admitte me intrare in numerum electorum. O Jesu, salus in Te credentium; o Jesu, solatium ad Te confugientium; o Jesu, dulcis remissio omnium peccatorum! o Jesu, fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem et humilitatem, ut possim Te perfecte diligere, Te laudare, Te perfrui, Tibi servire, et in Te gloriari, ut omnes, qui invocant nomen sanctum Tuum, quod est Jesus. Amen.

Desiderium imitandi Christum.

Qui sequitur Te, o Dux certissime, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.

Nihil itaque me magis sollicitum habeat, quam insistere vestigiis Tuis, et quotidie longius progredi in via, quam monstrasti mihi. In meditatione mea exardescat ignis amoris Tui, et ad speculum vitae Tuae formem meam.

Exultasti ut gigas ad currendam viam justitiae; a summo coelo egressio Tua, ut faceres et doceres voluntatem ejus, qui misit Te, Patris: da mihi intellectum, et scrutabor legem Tuam, quae sapientiam praestat parvulis; et observabo judicia Tua, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.

Cum in forma Dei esses, formam servi accepisti, et habitu inventus ut homo, non habuisti, ubi reclinares caput Tuum: doce me, non in vano honorum fuco aut incerto divitiarum spem reponere, sed gratia Tua et vir-

tutibus tanquam maximis divitiis delectari, et thesauros quaerere in coelis, quos nec aerugo nec tinea demolitur.

Tu pro me in laboribus a juventute Tua, nusquam Tibi requiem, nunquam otium indulsisti, in fame et siti, in aestu et frigore operatus es salutem in medio populi durae cervicis; et ego delicate et molliter nutriam membra mea? turpi otio et vivendi licentia diffluam? studia bona et labores horream? gaudia tantum et commoda carnis quaeram in hac vita, quae est militia super terram? Fac, probe intelligam, quid sibi velint verba Tua: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Filius Virginis integerrimae, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, Tu mentis puritatem, morumque castitatem inprimis commendatam esse voluisti illis, qui veritatem cognoscere, fortiter agere, et Deum videre cupiunt: ure igne sancti Spiritus renes meos et cor meum, Domine!

ut Tibi casto corpore serviam, et mundo corde placeam!

Tu transiisti benefaciendo et sanando omnes languores et infirmitates, pavisti famelicos, vocasti et recepisti peccatores, discurristi per vicos et plateas, ut doctrina, solatio et ope recreares miseros, et opera in eis faceres, quae nemo alius fecit: et ego sciens, unum corpus multos esse, qui de uno pane manducamus, et praecepisse Te, ut diligamus invicem, sicut Tu dilexisti nos, — ego, inquam, ad sublevandos, perficiendosque fratres et acquirenda in hunc finem scientiae ac virtutis subsidia non convalescam et accendar illo igne, quem misisti in terram? Inspira mihi, humanissime Jesu! benignitatem Tuam, ut diligam proximum meam non verbis, sed opere et veritate.

Tu ut agnus innocens ductus ad occisionem, ad injurias non aperuisti os Tuum: inter sceleratos reputatus et latrone pejor habitus, dolores et cruciatus gravissimos sustinuisti, priusquam intrares in gloriam Tuam: et ego, non

coronandus, nisi legitime certavero, ego discipulus et servus Tuus, mala pati pro justitia, disciplinam admittere, et vel levissima incommoda perferre recusem? Tribue, quaeso, fortitudinem mihi, et patientiam in adversis.

Tu dixisti: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; et in cruce pendens pro tortoribus, quorum mentes oculosque sanguine et vulneribus satiasti, deprecatus es Patrem: nonne petenda exinde cogitationum allevatio et affectuum moderatio est, ut supportemus invicem; condonantes nobismetipsis, siquis adversus aliquem habet querelam, sicut et Tu, Domine! donasti nobis?

O quantopere ad meliora me excitatum sentio, Magister coelestis, dum audio Te monentem, dum exemplar, quod mihi in vita Tua, et in monte supplicii Tui monstratum est, nec non exitum conversationis Tuae, gloriamque

intueor, quam tenes jam victor ad dexteram Patris!

Animum mihi addis, dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Ecce, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; corpus hoc, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum coelestia cogitantem. Tu igitur, cujus regni non erit finis, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, Tu, restitutor salutis, cujus spem maximam fidelibus Tuis attulisti, animi imprudentis levitatem constringe; contra hostes, quorum arma non conquiescunt, adsiste mihi, et in tabernaculis Tuis, edito atque excelso loco, eorum insidiis superiorem me praesta!

Tu, potens excitator et vegetator mentium, ad cujus aras supplicem me abjicio, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me! Tu vitis es, nos palmites, et ipse ais: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite,

sic nec vos, nisi in me manseritis. O quaeso, tene me Tibi arctissime conjunctum! Custodi me a superbia vitae, a concupiscentia carnis et oculorum, ne consuetudo mali quasi victum et vinctum trahat me compedibus suis, ne unquam, dum monet lex Tua, peregrinentur aures meae, neque, turbatus circa plurima, unum prae omnibus necessarium negligam, curam salutis meae.

Piissime Jesu! concede mihi, ut vitam aeternis veri et boni legibus conformem ducam, et sicut portavi hactenus imaginem hominis terreni, ita deinceps portem imaginem coelestis, et resurgens Tecum, quasi a mortuis, in novitate vitae ambulem. Amen.

Jubilus S. Bernardi.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed super mel et omnia,
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus es quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Jesum quaeram in lectulo
Clauso cordis cubiculo,
Privatim et in publico
Quaeram amore sedulo.

Cum Maria diluculo
Jesum quaeram in tumulo,
Clamore cordis querulo
Mente quaeram non oculo.

Tumbam perfundam fletibus
Locum replens gemitibus,
Jesu provolvar pedibus
Strictis haerens amplexibus.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Amor Jesu dulcissimus,
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Hoc probat Eius passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur et Dei visio.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem Ejus poscite;
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite
Et vota votis reddite.

Jesus auctor clementiae,
Totius spes laetitiae,
Dulcoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.

Jesu mi bone, sentiam
Amoris Tui copiam,
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam,
De Te tamen ne sileam
Amor facit, ut audeam,
Cum de Te solum gaudeam.

Tua Jesu dilectio
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.

Qui Te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem cupiunt.

Quem Tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat:
Quam felix est quem satiat,
Non est ultra quod cupiat.

Jesu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Desidero Te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de Te quando saties?

Amor Tuus continuus
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus
Est et vitae perpetuus.

Jesu, summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringit charitas.

Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsusdeficere,
Ut Illi queam vivere.

O Jesu, mi dulcissime,
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt piae lacrymae,
Te clamor mentis intimae.

Quocunque loco fuero,
Mecum Jesum desidero,
Quam laetus cum invenero,
Quam felix cum tenuero.

Tunc amplexus, tunc oscula,
Quae vincunt mellis pocula,
Tunc felix Christi copula,
Sed in his parva morula.

Jam quod quaesivi, video,
Quod concupivi, teneo,
Amore Jesu langueo
Et corde totus ardeo.

Jesus cum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,
Non tepescit nec moritur,
Plus crescit et accenditur.

Hic amor ardet iugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat et feliciter.

Hic amor missus coelitus
Haeret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.

O beatum incendium
Et ardens desiderium,
O dulce refrigerium
Amare Dei Filium.

Jesu, flos Matris virginis,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor numinis,
Regnum beatitudinis.

Veni, veni, rex optime,
Pater immensae gloriae,
Affulge menti clarius,
Jam exspectatus saepius.

Jesu, sole serenior
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Prae cunctis amabilior.

Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In Quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Jesu, mundi salvatio.

Mi delecte revertere,
Consors paternae dexterae,
Hostem vicisti prospere,
Jam coeli regno fruere.

Sequar Te, quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abstuleris,
Jesu, laus nostri generis.

Coeli cives occurrite,
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite,
Ave, Jesu, Rex inclyte!

Rex virtutum, rex gloriae.
Rex insignis victoriae,
Jesu, largitor veniae,
Honor coelestis curiae.

Tu fons misericordiae,
Tu verae lumen patriae,
Pelle nubem tristitiae,
Dans nobis lucem gloriae.

Te coeli chorus praedicat
Et Tuas laudes replicat,
Jesus orbem laetificat
Et nos Deo pacificat.

Jesus in pace imperat,
Quae omnem sensum superat;
Hanc mea mens desiderat
Et ea frui properat.

Jesus ad Patrem rediit,
Coeleste regnum subiit:
Cor meum a me transiit,
Post Jesum simul abiit.

Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis et praecibus,
Ut nos donet coelestibus
Cum Ipso frui sedibus. Amen.

Elogium antitheticum languentis, patientis, morientis Christi.

Tristatur in horto Laetitia Angelorum.

Affligitur in anima Refectio animarum sanctarum.

Solatur angelus Solatium afflictorum.

Traditur furori luporum Agnus mansuetissimus.

Capitur, quem coeli capere non possunt.

Ligatur, qui nostra solvit vincula.

Judici praesentatur Judex vivorum et mortuorum.

Negatur a Petro Petra ipsa, Christus.

Facies illa velatur, in quam desiderant Angeli prospicere.

Falso accusatur Veritas aeterna.

Non respondet verbum, per quod Verbum facta sunt omnia.

Indecore nudatur, qui vestit universa.

Tremit, coram quo tremunt Potestates.

Dire flagellatur Dominus, in similitudinem servi factus.

Ignominiose coronatur Rex regum et Dominus dominantium.

Stultitiae insimulatur Sapientia Patris.

Nocens dimittitur, Innocentia ipsa damnatur.

Ponderi crucis succumbit, qui tribus digitis coelum appendit.

Crucifigitur tanquam latro, Ipse Dei Filius.

Moritur eheu! Vita aeterna.
Ut te mortalem, aeternum reddat
Moritur Deus, homo factus,
Ut te hominem deificaret.

Morere et tu.

Concupiscentiis tuis; ut vivas Christo:
Mundo, ut vivas coelo:

Tibi ipsi, et omnibus affectibus pravis;
Ut vivas soli Deo, pro te mortuo,
in aeternum.

Synoptica meditatio de cruciatibus et passione Christi Salvatoris.

Considera bene, 1. Quis patitur? 2. Quid patitur? 3. Pro quo patitur? 4. Quare patitur? 5. A quo patitur? 6. Quomodo patitur? 7. Ubi patitur? 8. Quando patitur?

1. Quis patitur?

Unigenitus Dei Filius, aequalis et consubstantialis Patri.

Creator, Gubernator et Dominus omnium.

Potens in opere et sermone.

Rex regum et Dominus dominantium.

Adoratus et obsequiis cultus ab Angelis.

Praenuntiatus a Prophetis, Expectatus a Patriarchis, Desideratus a Gentibus.

Conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Adoratus a Magis, Visitatus a pastoribus.

Declaratus a Simeone, homine isto justo et timorato, Lumen ad revelationem Gentium et Gloria plebis Israel, sed et positus in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur.

Cui venti et mare obtemperarunt.

Quem mali daemones timuerunt.

2. Quid patitur?

Quod vocatus sit Filius fabri, daemonium habens et Necromanta, mendax, et qui se fingeret Filium Dei. Patitur praeterea insultum totius populi contra se et conspirationem.

Internam afflictionem animae. Sudorem sanguineum. Proditionem discipuli. Captivitatem ignominiosam. Falsa testimonia. Vituperia et ignominias a ministris. Ingratitudinem sui populi. Gravissimos dolores in corpore. Denudationem et spoliationem propriarum

vestium. Vestem stulti, et ut talis derisum. Flagellationem crudelissimam, Coronationem spineam, impulsus et percussiones plurimos. Sputa foetentissima et ignominiosissima. Magnae et ponderosae Crucis bajulationem. Crucifixionem dolorosissimam. Potationem fellis et aceti. Vulnus lateri barbare inflictum.

3. Pro quo patitur?

Pro Proditore. Pro eo, qui negavit. Pro deserentibus eum. Pro vincientibus. Pro condemnante eum. Pro suis inimicis. Pro homine, creatura vilissima et ingrata. Pro omnibus, etsi sciret, quam multis non profutura esset ea passio. Pro homine, qui sua voluntate se constituerat mancipium Diaboli. Pro homine digno mille infernis.

4. Quare patitur?

Non sua, sed nostra culpa. Pro immensa sua charitate. Ut deleret nostra peccata. Ad claudendum nobis infernum. Ad vinciendum diabolum. Ad ape

riendum nobis coelum. Ad dandam nobis gloriam essentialem et accidentalem.

5. A quo patitur?

Ab iis, quos redemerat e dura servitute Pharaonis. Ab iis, quibus dederat legem suomet digito scriptam. Ab iis, quos traduxerat per mare rubrum. Ab iis, quos per quadraginta annos paverat Manna in deserto. Ab iis, quibus dederat terram promissionis. Ab iis, e quorum stirpe dignatus est accipere carnem humanam. Ab iis, quorum sanavit infirmos. Ab iis, quorum coecis visum reddidit. Ab iis, quorum mortuos suscitavit. Ab iis, quos rectam ad coelum viam docuit, a Gentilibus, a Judaeis, a Scribis, Pharisaeis et summis sacerdotibus. A plebeis et vilibus personis, qualis erat servus Pontificis. Ab Apostolis et discipulis, utpote proditus a Juda, negatus a Petro, et ab omnibus derelictus.

6. Quomodo patitur?

Toto corde: promptissima voluntate. Longa patientia. Mansuetudine et pro-

fundo silentio. Inexplicabili fortitudine. Miro mundi contemptu. Perseverantia invincibili. Exquisita humilitate. Misericordia infinita.

7. Ubi patitur?

In habitatissima civitate Jerusalem, in civitate orbis sanctissima. In civitate, in qua tot Deo sacrificia offerebantur. In civitate, in qua aliis administratur justitia, contra Christum fiebat injustitia summa. In civitate, in qua, cum Ministri justitiae valde docti essent, non peccabant ignorantia invincibili. In urbe, in qua inde a teneris annis tanto honore cultus fuerat. In urbe, in qua magnus Propheta aestimabatur. In ea civitate, in qua crebrius praedicaverat veritatem. In ea civitate, in qua aliis reddidit vitam spiritualem. In civitate, in qua longe plurimis aegris reddidit sanitatem. In loco tam spurco, monte scilicet Calvariae: In medio duorum latronum.

8. Quando passus est?

In flore aetatis. Tempore paschali, festivitate totius anni praecipua. Tem-

pore, quo gratias Deo agere debebant, interim Deum incarnatum ipsi crucifigebant. Tempore, quo nocenti poterant impetrare vitae gratiam, quam eripiebant Innocentissimo omnium saeculorum. Tempore, quo tantus populorum numerus indulgebat festivis gaudiis, solus ipse patiebatur.

Aspiratio ad Christum crucifixum.

Ave lignum crucis, ave crux pretiosissima: me totum Tibi dedico in perpetuum.

Non me movet, Domine, ad amandum Te, coelum, quod mihi promisisti: nec horrendus infernus movet me, ut non offendam Te; Tu me moves, mi Deus; movet me, quod videam Te cruci clavis affixum et excarnificatum. Movet me, quod videam corpus Tuum tam vulneratum. Movent me opprobria Tua, et mors Tua. Denique movent me haec mi Deus, et ita movent, ut si non esset

infernus ullus, tamen adhuc timerem Te; et si nullum esset coelum, adhuc amarem Te. Non habes, quod mihi des, pro quo Te amem; quia, tametsi ea, quae spero, non sperarem, aeque ac nunc Te amo, Te amarem.

Eadem aspiratio versibus illigata.

Nec gaudiorum aeternitas,
 Prommissa diligenti,
Nec inferorum aeternitas,
 Parata negligenti.
Nec illa me, nec ista me
 Amare Te coegit.
Te, qui cruenti stipitis
 Sublatus in theatrum,
Exemplar es pulcherrimi
 Et artifex amoris.
Heu! conspicor trabalibus
 Manus, pedesque clavis,
Fixumque pectus militis,
 Et plus amoris hasta.
Heu! flagra, spinas, vulnera,
 Heu! probra, sputa, sannas,

Tandemque contemptissimam
  Pro me nocente mortem.
Haec una, mi dulcissime
  Sinceritas amoris,
Haec, o amator optime!
  Amare Te coegit.
Si nulla nobis praemia
  Promitteres, amarem.
Si nulla nobis tartara
  Praediceres, amarem.
Et gratis, ut Tu me prior
  Amaveras, amarem,
Tantumque Te, quod optimus,
  Deusque sis, amarem.

Eadem aspiratio Rhythmice.

O Deus! ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me,
Aut quia non amantes Te
Aeterno punis igne.
Tu, Tu, mi Jesu! totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,

Ac mortem; et haec propter me;
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem Te,
O Jesu amantissime?
Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me;
Nec praemii ullius spe;
Sed sicut Tu amasti me,
Sic amo et amabo Te,
Solum, quia Rex meus es
Et solum, quia Deus es. Amen.

Quinque amantis animae suspiria ad quinque litteras nominis Jesu.

*J*esu, mi Deus et omnia, cur unquam offendi Te, qui usque in finem dilexisti me? An non et ego amem Te? Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. 1. Cor. 16, 23.

*E*mitte, mi Jesu, lucem Tuam et veritatem Tuam, ipsa me deducant et adducant in montem sanctum Tuum, et

in tabernacula Tua. Ibi secure exultabo in Te Deo, Jesu meo. (Hebr. 3, 19.)

Salve. o imago aeterni Patris, o speciose forma prae filiis hominum; in quem desiderant Angeli prospicere! O cordis mei desiderium! ostende mihi faciem Tuam, et salvus ero. (Ps. 79, 20.)

Utinam, o bonitas infinita, amoris victima pro me facta, totus vicissim Tibi in amoris victimam consecrer; faciasque (quod unice exopto) ut vere dicam: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. (Gal. 6, 14.)

Suavissime Jesu, aufer spiritum meum, et Tuum in me transfunde; Tuo enim spiritu animatus exclamabo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. (Gal. 2, 20.)

Oratio de septem verbis Christi.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in cruce pendens dixisti: Pater, dimitte illis, non enim sciunt

quid faciunt: fac, ut ego amore Tui parcam cunctis mihi male facientibus; et qui dixisti Latroni: Hodie mecum eris in Paradiso, fac me ita vivere, ut in hora mortis meae dicas mihi: hodie mecum eris in Paradiso. Et qui dixisti Matri Tuae: Mulier, ecce filius tuus, deinde discipulo: Ecce Mater tua, fac, ut Matri Tuae me societ amor Tuus, et charitas vera. Et qui dixisti: Eli, Eli, lamma sabactani, hoc est, Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? fac, me dicere in omni tribulatione et angustia: Pater mi, Domine mi, miserere mei, peccatoris quidem maximi, attamen contriti et humiliati; adjuva me, Rex meus, et Deus meus, qui Tuo proprio sanguine redemisti me. Et qui dixisti: Sitio, fac, ut semper sitiam Te fontem aquae vivae. Et qui dixisti: Pater, in manus Tuas commendo Spiritum meum, suscipe me redeuntem ad Te. Qui dixisti tandem: consummatum est, fac, ut audire merear illam dulcissimam vocem Tuam, scili-

cet: veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea; veni, ut mecum conscendas cum Angelis et Sanctis meis in regno Patris mei epulari, jucundari, et commorari per infinita saeculorum saecula. Amen.

Hymnus de Spiritu Sancto.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes Tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae Tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, Charitas,
Et spiritualis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sit Te praevio
Vitemus omne noxium.

Per Te sciamus, da Patrem,
Noscamus atque Filium;
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis,
Surrexit ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

Piae aspirationes ad Sanctum Spiritum, pro septenis ejusdem donis impetrandis.

1) Veni, o Spiritus Sapientiae! instrue cor meum, ut sciam aestimare et amare bona coelestia, eaque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi, aeternumque possidere valeam. Amen.

Pater noster, etc.

2) Veni, o Spiritus Intellectus! illumina mentem meam, ut omnia salutis mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine Tuo lumen aeternum videre, plenamque Tui, Patrisque ac Filii cognitionem obtinere merear. Amen.

Pater noster, etc.

3) Veni, o Spiritus Consilii! assiste mihi in omnibus instabilis hujus vitae negotiis: mentem in bonum inclina, et a malo absterre, meque per rectum mandatorum Tuorum tramitem ad optatam salutis aeternae metam dirige. Amen.

Pater noster, etc.

4) Veni, o Spiritus Fortitudinis! Da robur cordi meo, illudque in omni perturbatione et adversis casibus confirma, virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, ne unquam victus, a Te, Deo summo bono meo separer. Amen.

Pater noster, etc.

5) Veni, o Spiritus Scientiae! Fac, ut caduca hujus mundi bona, eo-

rumque vanitatem perspiciam et contemnam, neque aliter iis utar, quam ad Tuam unius gloriam, meamque salutem: Tua vero aeterna praemia omnibus rebus terrenis anteponam. Amen.

Pater noster, etc.

6) Veni, o Spiritus Pietatis! Cor meum ad veram pietatem et sanctum Domini mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quaeram, et in vera dilectione inveniam. Amen.

Pater noster, etc.

7) Veni, o Spiritus Timoris Domini! confige timore Tuo carnes meas, ut provideam Te, Dominum meum, in conspectu meo semper, omniaque sollicite caveam, quae purissimis divinae majestatis Tuae oculis displicere possunt. Amen.

Pater noster, etc.

℣. Veni Sancte Spiritus, reple Tuorum corda fidelium,

℟. Et Tui amoris ignem in eis accende.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum etc.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Praxis invocandi salubriter Sanctissimam virginem Mariam, Christi Matrem.

In rebus dubiis, in angustiis, in periculis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde. S. Bernardus.

Die Dominica invoca illam ut Matrem.

O magna Mater Dei, quae sublimitate dignitatis tuae excelsior es omni re creata, cum ego, tam vilis homuncio me coram te intueor, qui fieri potest, ut ego quoque te Matrem compellem?

Et tamen ita est. Tu, quae Mater Dei es, tu, inquam, ipsa etiam mea Mater es, pro tali data mihi in solenni illa donatione, qua Jesus in cruce moribundus omnia sua mihi donavit. Nolo igitur, ut meae miseriae mihi praejudicent in retinenda possessione tanti boni, dum habeo merita Filii tui ultima Ejus voluntate in meum favorem associata. Volo te appellare Matrem, et considera, quod me, quamlibet indignum agnitum sis ut talem. Age igitur, monstra te mihi talem, qualis mihi es: monstra te esse Matrem. Quodsi non lubet audire voces meas, audi illas Domini mei, quibus inter atrocissimos cruciatus suos, Sui immemor, me tibi dulcissimis illis vocibus commendat: Ecce Filius tuus. Ecce filium tuum, o magna Domina, hic ad pedes tuos prostratum. Ne indigneris, quod ego gaudeam tanto honore; cum illum mihi promeritus sit ille Primogenitus, qui amore mei ex te natus est in paupere stabulo, amore mei vixit in paupere officina, et in tuis oculis etiam mortuus est in infami ligno.

Sic tu Illum quondam adoratum videas ab omnibus gentibus, sicut ego unice desidero; teque etiam videas agnitam pro magna Ejus Matre. Da mihi interim, ut vivam tanquam filius tuus, da, ut cognoscam dignitatem tuam, da, ut respondeam debito et obligationi meae, da, ut abhorream plus quam ab ulla re, a peccato, quod solum me reddit indignum tua adoptione, et tuo amore, Amen. Ave Maria etc.

O pia Mater misericordis Dei, ne dedigneris Mater esse etiam hujus nequissimi Rei; cum enim peccavi in Filium, irritavi et te, Matrem: sed etsi offensa es, clemens etiam es, et talis, quae peccatori post te clamanti facile placeris. In gratiam ergo tuam me suscipe se accusantem, te deprecantem, in se desperantem, in te sperantem. Amen. S. Anselmus.

Die Lunae.

Ut Reginam.

O Regina mundi, quae tanquam filia, mater et sponsa Altissimi tam magnum

jus habes supra omnes creaturas, igitur et ego mille titulis ad te specto, ego etiam tuus sum. Sed si tuus sum titulo tantae illius protectionis, quam in omnes tibi deditas exerces creaturas, hic mihi non sufficit; volo tuus esse ratione quadam speciali, voluntatis nimirum propriae electione. En igitur prostratus coram throno magnitudinis tuae, eligo te in meam Dominam, id oblatione hac, qua totus tuus esse volo, spectans, ut duplici nomine Dominium tibi adstruam, quo jam alias in res omnes polles. Ex hoc momento volo, ut me possideas nova ratione; volo dependere a te, et volo, ut tu exequaris in me omnes illas voluntates, quas divina providentia super me et res meas constituit. Dispone igitur ab hoc momento in omnem deinceps aetatem de negotiis vitae meae, sicut tibi placuerit. Tempera prospera adversis, adversa prosperis ratione modoque, qui tibi placuerit; cuncta mihi erunt, si non jucunda, saltem minus aspera, quaecunque transeunt per manus Dominae tam amabilis, qualis tu

es, o Regina mea! Satis mihi est, ut post vicissitudines fallacis hujus temporis te adjutrice perveniam ad regnum aeternitatis, ad agnoscendam, honorandam et amandam te, et gratulandum tibi illam gloriam, qua Deus te remuneratus est tanquam Reginam per omnia saecula. Amen. Ave Maria etc.

«O Regina mundi, scala coeli, thro«nus Dei, janua paradisi, audi preces «pauperum, ne despicias gemitus mi«serorum: inferantur a te vota nostra, «atque suspiria conspectui Redempto«ris, ut, quae nostris excluduntur me«ritis, per te locum apud aures divinas «obtineant pietatis. Dele peccata, re«laxa facinora, erige lapsos, solve «compeditos: per te succidantur vepres «et germina vitiorum, praebeantur flo«res et ornamenta virtutum. Placa pre«cibus tuis judicem, quem genuisti «singulari puerperio Salvatorem, ut, «qui per te factus est particeps huma«nitatis nostrae, per te quoque nos «consortes efficiat divinitatis suae, «Amen». S. Petrus Damiani.

Die Martis.

Ut Magistram.

O Virgo virginum, o Magistra puritatis! Quam pulchram scholam tu in terris aperuisti tuo exemplo! Tu prima obtulisti Deo virginitatem tuam voti religione stabilitam, et obtulisti voto tam obfirmato, ut ad illud servandum promptissima fueris ad renuntiandum summo illi honori, quo modo gaudes tanquàm Mater ipsius Dei. Post te video innumerabile agmen virginum, quae tuis institutae documentis, ipsis coeli angelis invidiam movent, dum vivunt in corpore, quasi corpore destitutae. Et ego miserabilis, dum istud video, quid habeo, quod agam? Non sum tam temerarius, ut pedem ponere ausim in limine hujus scholae tam sanctae, qualis tua est, ne illam contaminem: ita tamen, ut sum, longius ab illa distans supplicem tibi libellum sequentis tenoris porrigo: Peccator nonnemo, totus lutum, prostratus coram Matre puritatis, orat eam, quanta uspiam potest

submissione, ut obtineas illi tantum lacrymarum, quae sufficiant ad eluendas omnes vitae hactenus actae sordes et maculas; tantum gratiae, quae robur illi conferat ad eligendam potius mortem, quam ut denuo tali se labe conspurcet. An timendum mihi erit, ne me cum libello meo facessere jubeas? Ah! hoc non fiet, quia petitio mea nimium quantum est secundum cor tuum. Si non amares me, committere tamen non posses, ut non amares illam puritatem, quam a te postulo, neque te faceres protectricem illius, sicut ejus fuisti magistra. Tuo ergo obtutu miserabilem hunc peccatorem dignare, neque ante eum alio verte, quam me in alium commutes ab eo, qui sum, mihi nunc gratiam impetres, sequendi te in vita, et comitandi post mortem in gloria, ita, ut si non potuero cantare tibi canticum illud sublime virginum, quod tu tanto tuo honore aliis praecines in omne aevum, illud saltem mihi liceat auscultare, Amen. Ave Maria etc.

« O mea dulcis Mediatrix, miserere

«mei, o Virgo suavis, gratiosa, ama«bilis, o paradise voluptatis, charissima «mea! intende mihi, peto veniam, peto «spiritum bonum, peto gratiam, doce, «illumina, dirige me, adjuva, protege, «salva me, dele culpas, o Maria! «placa Natum prece pia, quia per te «patet via ad aeterna gaudia. Laus «tibi, o Domina! laus tibi, et honor, «et gloria perennis, Amen.» Ludovicus Blosius.

Die Mercurii.

Ut Advocatam etc.

O Mater sancti amoris, o vita, dulcedo et spes nostra! siccine ergo satis non fuit Jesu nostro, ut esset Advocatus meus apud Patrem, nisi etiam te Advocatam meam apud seipsum constitueret? Abunde patet, quantopere salutem meam cordi habeat, dum post illam tot mediis procuratam, nondum contentus vult, ut cum suis meritis concurrant etiam preces tuae ad eandem mihi impetrandam, quibus tantam

ipse virtutem contulit, ut earum quasi praeceptorum ratio habeatur. Si ita res se habet, en ego ad executionem finis tam misericorditer a Domino meo praefixi, ad pedes tuos tanquam ad Altare refugii festino, et ibi prostratus, etsi me agnoscam inter res omnes conditas indignissimam, protestor tamen, quod spem in auxilio tuo reponam, et tantam spem, ut si salus mea tota in manibus meis esset reposita, mox illam e manibus meis in tuas deponerem: adeo plus tibi quam mihi ipsi confido. Verum est, quod ego peccatis meis intercidam viam auxiliis, quae tu de coelo mihi impetras: spero nihilominus, quod tu istud etiam praejudicium, quod rebus meis ipse affero, superatura sis et impetratura, ut ego vita ex virtute acta supplices tuas pro me preces promoveam, non autem vita scelerata impediam. Non constat ullam causam a te serio protectam, adjutamque ad hanc usque diem sinistro exitu fuisse perditam: et timeam ego, ne mea prima sit, quae felici exitu careat? Non ita sit,

o Advocata! Obliviscatur sane mei totus mundus, dummodo tu mei recorderis, o Protectrix mea amantissima! dignare tantum me benigno obtutu, et si non confestim viscera tua super me miserabilem commota fuerint, contentus ero, si me deseras. Dic Deo, quod tuus sim, et dein non obsistam, quo minus peream, si hoc ad salutem consequendam non sufficit. Haec spes fiduciam mihi parit: cum hac vivere volo et cum hac mori. Unica spes mea Jesus, et post Jesum Virgo Maria, Amen. Ave Maria etc.

« O Domina nostra, Mediatrix nostra, « Advocata nostra! tuo filio nos recon-« cilia, tuo filio nos commenda, tuo filio « nos repraesenta. Fac, o Benedicta! « per gratiam, quam invenisti, per prae-« rogativam, quam meruisti, per mise-« ricordiam, quam peperisti, ut, qui te « mediante fieri dignatus est particeps « infirmitatis et miseriae nostrae, te « quoque intercedente participes nos « faciat gloriae et beatitudinis Suae, « Amen. » Sanctus Bernardus.

Die Jovis.

Ut Benefactricem.

Justissima, quae ingrato irrogetur, poena est, auferre ab eo beneficium. En igitur me tot beneficiis a te affectum, et tam illorum immemorem et ingratum! Dignus essem, o magna Dei Mater, ut alio averteres oculos illos plenos misericordiae, quibus toties miserias meas benignissime respicis: dignus essem, non diffiteor, dignus essem. Aspice tamen, quanta sit illa aestimatio mea, quam de tua bonitate concepi! Spero, quod non sis permissura, te vinci a summa mea malitia; sed quod te ipsam ita sis honoratura, ut non te induci sinas ad ita operandum, sicut mala mea merita digna essent, sed secundum propensionem cordis tui. Et haec tam pia spes me fallat? Nunquam id contingat. Age Mater amoris, divinarum gratiarum thesauraria, asylum peccatorum, age, noli defatigari in ferendis malis meis. Sisto me in conspectu tuo tanquam vere miserrima omnium crea-

turarum. Audi voces clamantis, aperi sinum misericordiae tam misero; porrige manum lapso, qui te invocat, ut resurgat. Recordare, quod si es Mater Salvatoris, hoc ipso sis et Mater meae salutis, et idcirco, quot mihi desunt causae obligandi te, ut adjuves me, tam multas in te invenies, ut superabundent in te ad adjuvandum me. Spondeo interim tibi, quodsi tuo beneficio ego quoque salutem consecuturus sim, nunquam porro ingratus erga te sim futurus, sed compensando aeternis laudibus praeteritam meam ingratitudinem cantabo cum omnibus Beatis illas misericordias, quae per manus tuas tanta beneficentia a Deo in me fuerunt collatae, Amen. Ave Maria etc.

«O admiranda et omni honore dig-«nissima Virgo, super omnes foeminas «admirabilis, parentum reparatrix, «posterorum vivificatrix. Eja Domina «nostra, laetitia nostra, benedictum «fructum ventris tui nobis post hoc «exilium ostende. Ipsum inquirimus, «ipsum anhelamus. Tu, Virgo! nos

« dirige, tu nos ad Ipsum deducito; tu,
« quo regnat, nos perducito, Amen. »
S. Thomas a Villa nova.

Die Veneris.
Ut Liberatricem.

Quae nunc sors mea esset, o magna mea Domina, si tu tam plena misericordiae non esses! quomodo ferre ultra posses cordis mei pravitatem, quod neque beneficiis, quae a te accepit, emollitur, neque malis, a quibus illud liberasti? Quoties jam ad extremos usque margines praecipitii progressus sum, e quibus quam terribilis tam propinquus erat lapsus in inferni barathrum, et tu, o Regina misericordiae, tenuisti, ne ruerem, etsi jam me extensis brachiis mali daemones expectarent, et peccata mea magno furore impellerent ad cadendum citius; etsi etiam divina justitia parata esset ad vibrandam contra me finalem sempiterni exitii sententiam! Tu non vocata accurristi ad praesentissimum meum periculum, et monstrando Patri vulnera Filii tui, et ipsi Filio si-

num tuum, obtinuisti mihi salutem, dum ego jam jam eram periturus! Si vel tantillum moras traxisses in succurrendo, quo jam loco essent res meae? aeternum esset actum de me. Et hoc non sufficiat ad cordis mei duritiem tandem frangendam? Non sufficiat, ut omnes reliquos vitae meae dies honori tam propitiae Auxiliatricis consecrem? Enimvero sufficiet, hac vice manus dabo. Volo, o Virgo, ut tibi habeatur honor, et gloria de domito tandem corde tam perduelli, quale meum est. Unum hoc rogo, ut pergas esse perpetua mea Liberatrix. Libera me ex inferno adhuc horribiliore, hoc est, peccato. Libera me a meipso, qui mihi tam saepe sum daemon, quolibet alio pejor; libera me, ne vivam ingratus illi Deo, qui, tua motus intercessione, tanta miseratione liberavit me ab omnibus meis malis. Amen. Ave Maria etc.

« O beatissima et dulcissima Virgo « Maria, omni pietate plenissima! in « sinum pietatis tuae commendo hodie « et omnibus diebus vitae meae corpus

«meum, et animam meam; omnesque «actus meos, cogitationes, voluntates, «desideria, locutiones, et omnem vi«tam, finemque meum. Sis mihi adju«trix et consolatrix contra insidias et «laqueos hostis antiqui, meque in tua «et Filii tui dilectione morientem in via «salvationis dirigas, Amen.» S. Thomas Aquinas.

Die Sabbati.

Ut Consolatricem.

Quam suavi harmonia concordant inter se, o Mater misericordiae, altitudo gradus tui et benignitas cordis tui! Si attollo oculos ad illius throni sublimitatem, in quem assumpta es, vacillat mihi cogitatio, mens contremiscit. Tu cum inexplicabili excessu es major omnibus rebus conditis! Tu solo minor Deo! Tu operum pulcherrimum, quod divinis manibus formatum est: tu, dico, constituis in coelo sola ordinem peculiarem, et propter vinculum illud sanguinis tam arctum, quod te Jesu tuo

conjungit, ingrederis in gradum prope divinum. Et nihilominus in ista tanta dignitate tua non solum non oblivisceris miserorum, sed tua tibi potentia eo nomine carior tibi est, quia illam impendere potes ad illos sublevandos. Alii amici deserunt nos in nostris necessitatibus: tu e diverso inter illas nos oculo benigniore respicis: invocata quamprimum festinas ad nostrum solatium, et saepe praeveniendo nostras preces, etiam non invocata occurris ad sedandas nostras tempestates, et in medio naufragiorum facis te portum pacis. Laudetur ergo millies manus illa divina, quae te produxit simul tam potentem et tam misericordem, et conjunxit in te cor Matris tam tenerum cum majestate Reginae tam venerandae. Fruere hoc regno tuo: quia illud tibi est convenientissimum. Ego in inferiore hoc mundo absorptus contemplatione dulcissimi spiritus tui gratulor tibi magnitudinem tuam perinde, ac si mea esset: et protestor, quod, ne tibi desit vel unicus radius gloriae illius excelsissimae, quae

te circumdat, hora quavis promptus essem, plurium etiam vitarum impendio, illum tibi procurare. Tu quae inter tam multos titulos sublimissimos non respuis etiam hunc Consolatricis meae, corrobora me semper magis magisque in adversis, quae me infestant, et in omnium maximo, in morte scilicet mea, honori tibi ducito incidisse in miseriam, quae magis, quam alia quaelibet respondeat misericordiae tuae. Amen. Ave Maria etc.

«O summe venerabilis Virgo Maria, «aeterni Regis Mater et Filia, omnium «ore benedicenda, omni honore vene«randa, Virginitate ferventissima, pa«tientia mitissima, oratione devotissima, «auxilio potentissima, o clementissima «mater Dei, Sanctorum gaudium, pecca«torum solatium, attende gemitus con«tritorum, imple desideria devotorum, «conforta corda tribulatorum, protege «supplices servulos tuos ab infestatione «daemonum, perduc tecum amatores «tuos ad aeternae beatitudinis praemi«um, Amen.» Thomas a Kempis.

Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis gratiam reconciliationis: sit per te excusabile, quod per te ingerimus, recipe, quod offerimus, impetra, quod rogamus, excusa, quod timemus, quia nec potiorem meritis invenimus, quam te, ad placandam iram Judicis, quae meruisti esse Mater Redemptoris et Judicis. S. Augustinus.

Fac ergo, o Domina mea, ut sim totus devotus, totus sanctus, totus perfectus in virtutibus, tui semper memor, et divinae, tuaeque voluntatis operator et executor. Per tua merita haec mihi dona concede, et adjuva me obtinere gaudia aeternorum munerum. Amen. S. Bonaventura.

Gere semper mei curam
O Maria, Mater chara!
In extrema mortis hora,
Fer juvamen absque mora.
Tunc, o Mater bonitatis,
Pande sinum pietatis
Ulnis stringe charitatis
Ad coelum recte dirige. Amen.

Devotissime ac secure tuam ei causam committas, quia Mater est misericordiae, quotidie studeas ei specialem et singularem reverentiam exhibere. S. Bonaventura.

Quisquis quotidiana officia in ejus laudibus frequentare studuerit, adjutricem sibimet in die necessitatis acquirit. S. Petr. Dam.

Litaniae in honorem B. Mariae Virginis.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe, audi nos!
Christe, exaudi nos!
Pater de coelis Deus! } Miserere nobis!
Fili, Redemptor mundi Deus! } Miserere nobis!
Spiritus Sancte Deus! } Miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus! } Miserere nobis!
Sancta Maria! } Ora pro nobis!
Sancta Dei genitrix! } Ora pro nobis!
Sancta Virgo virginum! } Ora pro nobis!

Mater Christi!
Mater divinae gratiae!
Mater purissima!
Mater castissima!
Mater intemerata!
Mater inviolata!
Mater amabilis!
Matcr admirabilis!
Mater Creatoris!
Mater Salvatoris!
Virgo prudentissima!
Virgo veneranda!
Virgo praedicanda!
Virgo potens!
Virgo clemens!
Virgo fidelis!
Speculum justitiae!
Sedes sapientiae!
Causa nostrae laetitiae!
Vas spirituale!
Vas honorabile!
Vas insigne devotionis!
Rosa mystica!
Turris Davidica!
Turris eburnea!
Domus aurea!

Ora pro nobis!

Foederis arca!
Janua coeli!
Stella matutina!
Salus infirmorum!
Refugium peccatorum!
Consolatrix afflictorum!
Auxilium christianorum!
Regina Angelorum!
Regina Patriarcharum!
Regina Prophetarum!
Regina Apostolorum!
Regina Martyrum!
Regina Confessorum!
Regina Virginum!
Regina Sanctorum omnium!

Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Parce nobis, Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Exaudi nos, Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Miserere nobis.

Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Kyrie eleison!

Christe eleison!
Kyrie eleison!

Pater noster. Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix! Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia! tuo Filio nos commenda! tuo Filio nos repraesenta!

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix!
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo nuntiante Christi, Filii tui, incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. Ora pro nobis beatissime Josephe!
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae genitricis Tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur; qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum, Amen.

Oratio, qua beata Virgo Maria in Patronam eligitur.

Sanctissima Virgo, Mater Dei, Maria! Ego N., licet undecunque, qui recipiar in numerum tuorum servorum, indignissimus: fretus tamen tua pietate admirabili, et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo te hodie, coram castissimo sponso tuo Josepho, et Angelo meo custode, universaque curia coelesti, in meam peculiarem Dominam, Patronam et Matrem; firmiterque propono: te imposterum sequi, tibi famulari, atque curare; ut ab aliis tibi quoque servitium devotionis et imitationis exhibeatur. Ad te igitur, Mater

clementissima! per sacratissimum, quem pro me Jesus Christus, filius tuus, sanguinem fudit, suppliciter peto: ut me in numerum filiorum tuorum admittere digneris, et mihi a Deo gratiam impetres: ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus ita me habeam; ut nihil unquam in me, neque Dei, neque tuis displiceat oculis, sisque memor mei praesertim in hora mortis meae, Amen.

Oratio ad sanctum Angelum Custodem.

Obsecro te, Angele sancte et beate, cujus curae et providentiae commendatus sum, ut mihi semper praesens adsis ad opportunum auxilium. Perfer preces meas in conspectum Dei nostri Domini, et insinua piis ejus auribus, ut per suam misericordiam et tuam intercessionem concedat mihi veniam peccatorum praeteritorum, veram notitiam et contritionem praesentium, efficacem

denique praecautionem ad ea vitanda, quae imposterum fragilitati meae minantur. Det praeterea mihi gratiam bene operandi, et sic usque in finem perseverandi. Procul abige a me, per virtutem Dei omnipotentis omnem tentationem Satanae, ac quod ego promereri meis operibus nequeo, impetra mihi per gratiosas tuas apud communem Dominum preces, ut in me non habeat locum ulla mistura noxae, aut malitiae fermentum. Et si quando me videas aberrantem a recta via, et declinantem in diverticula peccatorum, age omni modo, et reduca me ad Salvatorem meum per vias justitiae quaerendum; ubi vero incidisse me in tribulationem et angustias perspexeris, adhibe per benevolam tuam charitatem dulcia tua officia cum Deo, ut inde mihi mature procures necessarium auxilium. Nunquam, quaeso te, me deseras, at semper protegas, visites, adjuves, atque defendas ab omni vexatione et oppugnatione malorum daemonum, invigilando die ac nocte, omnibus horis ac momen-

tis: et quo me vis ire, simul comitare et custodi.

Praecipue te ante omnia, Custos et Ductor mi sancte, etiam atque etiam oro et obsecro, intendas vires omnes, curasque ingemines, in tempore mei ex hac vita discessus, nec permittas me terreri adversariorum daemonum insultibus aut spectris, efficacissime praevertas, ne in desperationem cadam; nec te a me abjungas prius, quam me perduxeris ad beatificum intuitum Dei, Domini nostri: ubi ego tecum, et cum beatissima semper Virgine, Dei Matre, omnibusque Sanctis semper gaudeamus gloria Paradisi, nobis conferenda a Jesu Christo, Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in aeternum, Amen.

Litaniae in honorem omnium Sanctorum.

Kyrie eleison! Christe eleison! Kyrie eleison!

Christe, audi nos! Christe exaudi nos!

Pater de coelis Deus,
Fili, redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus. } Miserere nobis

Sancta Maria,
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo virginum,
S. Michael,
S. Gabriel,
S. Raphael, } Ora pro nobis.

Omnes sancti Angeli et Archangeli! orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum Spirituum ordines! orate pro nobis.

S. Joannes Baptista! ora pro nobis.

S. Joseph, ora pro nobis.

Omnes sancti Patriarchae et Prophetae! orate pro nobis.

S. Petre,
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe,
S. Joannes,
S. Thoma,
S. Philippe,
S. Bartholomaee, } Ora pro nobis!

S. Matthaee,
S. Simon,
S. Thaddaee,
S. Mathia,
S. Barnaba,
S. Luca,
S. Marce, — Ora pro nobis!

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae,
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes, — Orate pro nobis!

Sancte Stephane,
S. Laurenti,
S. Vincenti, — Ora pro nobis!

Sancti Fabiane et Sebastiane,
S. Joannes et Paule,
S. Cosma et Damiane,
S. Gervasi et Protasi,
Omnes Sancti Martyres, — Orate pro nobis!

Sancte Silvester,
S. Gregori,
S. Ambrosi,
S. Augustine,
S. Hieronyme,
S. Martine,
S. Nicolae, — Ora pro nobis!

Omnes Sancti Pontifices et Confessores, | Orate pro nobis!
Omnes Sancti Doctores,

Sancte Antoni, | Ora pro nobis!
S. Benedicte,
S. Bernarde,
S. Dominice,
S. Francisce,

Omnes Sancti Sacerdotes et Levitae | Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi et Eremitae,

Sancta Maria Magdalena, | Ora pro nobis!
S. Agatha,
S. Lucia,
S. Agnes,
S. Caecilia,
S. Catharina,
S. Anastasia,

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.

Propitius esto, parce nobis Domine,

Propitius esto, exaudi nos Domine,

Ab omni malo, libera nos Domine.

Ab omni peccato, libera nos, Domine.

Ab ira Tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis Diaboli,
Ab ira, et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae Incarnationis Tuae,
Per adventum Tuum,
Per nativitatem Tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium Tuum,
Per crucem et passionem Tuam,
Per mortem et sepulturam Tuam,
Per sanctam resurrectionem Tuam,
Per admirabilem Ascensionem Tuam,
Per adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die judicii,

Libera nos, Domine!

Peccatores! Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus, audi nos.

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam Tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut Regibus et Principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in Tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,

Te rogamus, audi nos.

Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,
} Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos — Christe exaudi nos.

Kyrie eleison — Christe eleison — Kyrie eleison.

℣. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Ps. 69.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur: qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et laetentur in Te omnes, qui quaerunt Te, et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare Tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es Tu: Domine, ne moreris.

Gloria Patri etc.

℣. Salvos fac servos Tuos,

℟. Deus meus sperantes in Te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis,

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra,

et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen Tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos Tuos, Deus meus, sperantes in Te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuère eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, et omnes famulos Tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio Tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium Tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam Tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas; et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi Tui supplicantis propitius respice; et flagella Tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo Tuo, Pontifici nostro N. et dirige eum secundum Tuam clementiam in viam salutis aeternae; ut Te donante Tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis Tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis Tuis dedita, et hostium sublata

formidine, tempora sint Tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine: ut Tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque Tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a Te semper incipiat, et per Te coepta finiatur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris, simul et mortuorum, omniumque misereris, quos Tuos fide et opere futuros esse praenoscis: Te supplices exoramus; ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet; vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus

Sanctis Tuis, pietatis Tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

℣. Exaudiat nos, omnipotens et misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Oratio ad omnes Sanctos ex S. Augustini Metitat. cap. 24.

O felices Sancti Dei omnes, qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagus, et pervenire meruistis ad portum perpetuae quietis, securitatis et pacis; ubi securi et tranquilli, semperque festivi atque gaudentes estis. Obsecro vos, per vestram charitatem, qui securi de vobis, soliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per Ipsum vos rogo, qui vos

elegit, qui vos tales fecit; de cujus pulchritudine jam satiamini; de cujus immortalitate jam immortales facti estis; de cujus beatissima visione semper gaudetis. Amen.

Oratio ad sanctum Patronum, cujus nomen geritur.

O sancte N. qui in sacro baptismatis fonte mihi in Patronum datus es! in te singularem auxilii spem colloco. Dirige, obsecro, pedes meos in viam virtutis; ut ad vitae tuae exemplar digne vocatione mea ambulem. Doce et guberna me in periculis tum animae, tum corporis; potissimum vero in extremo mortis articulo succurre et adjuva: ut tecum et cum omnibus Sanctis, partem aliquam aeternae gloriae obtinere merear in coelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Hymnus pro felici anni scholastici auspicio.

Grati tributum jam satis otii;
Tollat remissos pulchrior impetus!
Tangenda rursus nam scholarum
Gressibus indubiis palaestra.

Ignava quid non imminuit quies!
Quantum sed effert nos animi vigor!
Adversa spernens hic micanti
Ire jubet super astra cursu.

Absint timores; sperat agricola
Messem futuram, dum sua sedulus
Fatigat in campis aratra,
Multaque fert patienter usque:

Suetum molestis sic sapientia
Faustos alumnum ducit ad exitus,
Praebetque certanti coronas,
Egregii pretium laboris.

Hinc vos, Sodales, sponte laboribus
Offerte fortes, sint licet ardui,
Viresque donantis potentem
Poscat opem sibi quisque Patris.

Quo membra crescunt parvula tempore,
Crescant eodem vis animi simul

Virtusque, concursu malorum
Fortior indocilisque flecti.
  Frustra juventus fingitur et bonas
Artes docetur, ni studiis ferat
Mentes amicas, ac honesti
Ardeat a teneris amore.
  Hic ille sensus, quo melius nihil,
Qui, dum replentur stragibus omnia,
Solus supervivit caducis,
Per medias properans ruinas.
  Tali beatos, pectora qui regis,
Nos redde sensu Tu Deus, optimis
Exerceamur disciplinis
Luminis aetherei capaces.

Pro eodem alius.

  Jam novus vitae studiisque nostris
Otium rumpens aperitur annus,
Excitet somno juvenes inertes
    Gratia coeli.
  Quas dedit vires animique dotes,
His Deus vult nos sapienter uti;
Adspicit testis, tribuetque justa
    Praemia factis.
  Eja, curramus, Deus et parentes
Qua vocant, nostrae cupidi salutis,

Qua Magistrorum Patriaeque carae,
Clamor adurget!
Multa sed circum veniunt pericla;
Sunt opes nostrae tenues juventae;
Dives, o rerum Pater, impotentes
Viribus auge!
Tu soles tristem renovare terram,
Tu satas glebis animare fruges,
Tu laborantem refovere molli
Imbre colonum:
Sic Deus nobis faveas benignus;
Quaeque mandarunt animis magistri,
Proferant fructus jubeas perennes,
Semina recti.

Hymnus pro fine anni scholastici.

Tempus optatae rediit quietis,
Terminus multo positus labori:
Jam Deus soli Tibi sit peracto
Gloria cursu!
O juventutis Pater atque custos!
Reddimus grates Tibi, quod benigno
Juris ac veri cupidos favore
Protegis usque.

Nam Tuis, tanquam clypeo, sub alis
Artuum crescit vigor atque mentis,
Nec reformidat juvenilis aetas
Mille pericla.

Utimur fidis Duce Te Magistris;
Tu foves curas teneras parentum;
Quanta largiris rudibus scholarum
Commoda nobis!

Gaudii fontes aperis perennes;
Languidos esca reficis; venire
Parvulos ad Te jubes, et paterno
Pascis amore.

Corda doctrinis vegetas supernis;
Mentium spissas abigis tenebras,
Et viam monstras timidis, parasque
Fulcra labanti.

Hinc chorum, cives, date; gratulemur
Invicem laeti, Dominum canamus,
Cujus est nobis bonitas salutis
Pignus amicum!

Noster est idem Dominus Deusque;
Dives illius sata grex tenemus,
Cujus auditam modo ne rebelles
Spernite vocem!

Quid! — Tibi tot jam titulis revincti
Audeant sacrum violare foedus,

Et tuis aurem monitis negantes
Turpiter errent?
Munerum sed vix memores Tuorum
Impetu mentis levioris acti
Sprevimus vocem quoties monentis
Patris ab alto?
Ima scrutanti Tibi quis respondet?
Me reum poenae fateor, rubente
Nunc gemens vultu, veniamque factis
Posco protervis.
Culpa dum reddit mihi Te minacem,
Carpe ne rerum Genitor merentem;
Neve, dum vexant animum dolores,
Exige poenas!
Sed laborantis miserere servi,
Quem minus prudens agit impotentem
Aetas, illidens scopulis acutis,
Ni Deus adsis.
Dissines nutu tenebras potenti;
Audias lenis pia vota; dones,
Pauperi tandem mihi sempiternae
Munera pacis.

Pro eodem alius.

Instat, Sodales, justa remissio!
Segnes recedant: corda pigritiae

Ignara tantum laetiore
Fronte dies celebrate gratos!
Nam vestra claris fulget honoribus
Virtus, repulsae nescia sordidae:
At desides qui traxit horas,
Dedecus hunc premit atque moeror.
Insigne tempus, judicii diem
Nobis adumbrans! pro meritis ubi
Gaudebit olim, qui labore
Imposito sibi rite functus.
O juste Judex, cordis in intimo
Quem nil recessu praeterit abditum!
Cuncti ad Tuum stabunt tribunal,
Innocuus scelerisque servus.
Tu justa factis praemia dividis;
Quantum meretur, tollit iniquitas;
Respondet et merces labori;
Utilitas operas adaequat.
Hoc grande rerum nos opus excitet;
Tu judicantem mens pia cogitet;
Et cuncta perpendat videntis
Justitia Domini moveri.
Funesta turpem multa pigritiam
Manere, certum. Servus inutilis,
Concessa non curans talenta,
Pauperiem feret et ruinam.

O qui potenti sceptra tenes manu,
Magnisque nosmet muneribus foves,
Tu, quaeso, cunctis sempiternae
Justitiae monumenta pande!
Nos occupari fac studiis bonis,
Servire castis et Tibi moribus,
Nunc in juventa, seriusque
In niveis senii capillis.
Sic expediti fraudibus et metu,
Laeti canamus praesidium Tuum
Nomenque sanctum, gratiasque
Mentibus intrepidis agamus.

Hymnus Ss. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: Te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: Tibi coeli, et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra: majestatis gloriae Tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensae Majestatis,

Venerandum Tuum verum et unicum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, Tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis Tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum Tuum Domine; et benedic haereditati Tuae.

Et rege eos et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus Te.

Et laudamus nomen Tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.

Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: Miserere nostri.

Fiat misericordia Tua, Dominc, super nos: quemadmodum speravimus in Te.

In Te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

PRECES VARIAE PRO PUBLICIS ET PRIVATIS NECESSITATIBUS.

1) *Pro Ecclesia sancta Dei.*

Da, quaesumus, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis Tuo ordine dirigatur, et Ecclesia Tua tranquilla devotione laetetur; ut destructis adversitatibus et erroribus universis secura Tibi serviat libertate, et quia sine Te non potest salva persistere, Tuo semper munere gubernetur.

Respice, Pater coelestis, visita et perfice vineam istam, quam plantavit dextera Tua, quam acquisivit sanguine suo Filius Tuus, Dominus noster Jesus Christus; cunctam ab ea repelle nequitiam, atque ad protegendum nos dexteram Tuae Majestatis extende. Insere pectoribus nostris amorem Tui nominis, et praesta religionis augmentum, ut quae sunt bona, nutrias, et pietatis

studio, quae sunt nutrita, custodias. Munda Tibi populum acceptum, bona opera spectantem, et, quales quaeris, adoratores in spiritu et veritate, ut non una tantum sit fides mentium, sed et pietas actionum, et cuncti, qui christiana professione censentur, illa respuant, quae huic inimica sunt nomini, et qua sunt apta, sectentur, conversationem inter gentes habentes bonam; ut oves, quae non sunt ex hoc ovili, adducantur, et fiat unum ovile et unus pastor. Fac inprimis, ut Ecclesiae Tuae sanctae Antistites, tanquam ministri Tui, et dispensatores mysteriorum Tuorum, attendant sibi et universo gregi, et vigilent pro animabus nostris in prudentia et innocentia cordis sui, quasi rationem reddituri pro ipsis. Da omnibus Spiritum sapientiae, scientiae, fortitudinis et pietatis; nobis autem cor docile et morigerum, ut muneris, quod imposuisti eis, digna functione devotio fidelium augeatur; ipsi vero, non gementes, sed cum gaudio ministrantes, solatium et praemium sol-

licitudinis suae in nostra salute inveniant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

2) *Pro Principe et Magistratibus.*

Omnipotens, aeterne Deus, Rex regum et Dominus dominantium! A Te potestates sublimiores et imperantes in terra, nobis in bonum, ordinatae sunt, quibus subditos esse nos, et pro quorum salute observationes ad Te fieri jubes, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate: imploramus clementiam Tuam pro Principe nostro N. omnique familia ejus et Magistratibus.

Salvos fac servos Tuos, Deus, sperantes in Te! Da, ut quo altiorem prae ceteris locum tenent, eo majora virtutum omnium percipiant incrementa; quibus decenter ornati mala quaecunque devitare, commoda publica curare, negotiorum onus facilius sustinere, et

pleni meritis ad regnum gloriae Tuae valeant pervenire.

Mittas, quaeso, Principi, Patriae Patri, et omnibus, qui a conciliis ejus sunt, sedium Tuarum assistricem sapientiam, per quam Reges regnant, et legum conditores justa decernunt; ut probe intelligant, Tuos se esse Ministros, rationem regiminis reddituros Tibi; ut discernant bonum inter et malum, ut regant populum Tuum, in justitia, et pauperes Tuos in aequitate, Patriaeque salus pia eorum sollicitudine, nostraque obedientia in honorem nominis Tui concordi fervore promoveatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum. Amen.

---

3) Pro eligendo summo Pontifice vel dioeceseos Episcopo, sede vacante.

Supplici, Domine, humilitate deposcimus; ut sacrosanctae romanae (vel N. N.) Ecclesiae concedat Pontificem illum Tua immensa pietas; qui et pio in

nos studio semper Tibi placitus, et Tuo populo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam Tui nominis reverendus. Per Dominum nostrum etc.

---

4) Pro Summo Pontifice, vel Dioeceseos Episcopo.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum Tuum N., quem pastorem Ecclesiae N. praeesse voluisti, propitius respice; da ei quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere; ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Dominum nostrum etc.

---

5) Pro Parentibus, Magistris, Benefactoribus.

Deus, cujus primum in promissione praeceptum est: «Honora patrem tuum et matrem tuum,» benigne sine dubio excipies suspiria et vota, quae pro parentum meorum, et qui horum loco mihi sunt, magistrorum et benefactorum

meorum Tibi offero. Hos itaque proprimis Tibi commendatos habe, et beneficiorum, quae Te donante conferre in me non desinunt, ipsis vices redde. Da illis salutem mentis et corporis, ut inter omnes vitae hujus varietates Tuo semper protegantur auxilio, et digne ambulantes ad gloriam coelestem pervenire mereantur. Doce et conforta eos, ut vitam et mores meos bonis praeceptis imbuant, optimisque exemplis ad virtutem forment; meque ipsum dirige, ne, quos praeesse mihi vis, iis pietatem, reverentiam et obedientiam filialem unquam denegem; sed dignum semper illorum cura et bonitate me exhibeam, omnisque conversatio mea ita comparata sit, ut solatium, honorem et gaudium uberrimum ipsis afferam. Amen.

6) Pro Errantibus in fide.

Deus, qui errata corrigis et dispersa congregas, et congregata conservas; quaesumus, super populum christianum Tuae unionis gratiam clementer infunde; ut divisione rejecta, vero Pastori Eccle-

siae Tuae se uniens, Tibi digne valeat famulari. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

---

7) *Pro Infidelibus.*

Omnipotens et misericors Deus, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire, suscipe propitius orationem nostram, et aufer tenebras et iniquitatem ab intellectu et a cordibus eorum, qui ad lumen revelationis Tuae nondum pervenerunt; ut relictis erroribus et omni pravitate deposita ad veritatis Tuae agnitionem perveniant, et cognoscant Te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

---

8) *Tempore belli.*

Deus, qui conteris bella, et impugnatores in Te sperantium potentia Tuae defensionis expugnas: auxiliare famulis Tuis implorantibus misericordiam Tuam:

ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili Te gratiarum actione laudemus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

9) *Pro pace.*

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis Tuis illam, quam mundus dare non potest pacem; ut, et corda nostra mandatis Tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint Tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. Amen.

---

10) *Pro vitanda mortalitate.*

Deus, qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum: populum Tuum ad Te revertentem propitius respice; ut, dum Tibi devotus existit, iracundiae Tuae flagella ab eo clementer amoveas. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

---

11) *Tempore terraemotus.*

Omnipotens, sempiterne Deus, qui respicis terram et facis eam tremere; parce metuentibus, propitiare supplicibus: ut, cujus iram, terrae fundamenta concutientem expavimus, clementiam contritiones ejus sanantem jugiter sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

---

12) *Tempore famis.*

Da nobis, quaesumus Domine, piae supplicationis effectum, et famem propitiatus averte: ut mortalium corda cognoscant et Te indignante, talia flagella prodire, et Te miserante, cessare. Per Dominum nostrum etc.

---

13) *Ad petendam pluviam.*

Deus, in quo vivimus, movemur et sumus, pluviam nobis tribue congruentem: ut praesentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

14) *Ad postulandam serenitatem.*

Ad Te nos, Domine, clamantes exaudi, et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: ut, qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia Tua praeveniente, clementiam sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

15) *Pro quacunque necessitate.*

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae Tuae precibus auctor ipse pietatis et praesta; ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

---

16) *Pro quacunque tribulatione.*

Ne despicias, omnipotens Deus, populum Tuum in afflictione clamantem: sed propter gloriam nominis Tui, tribulatis succurre placatus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

17) *Ad repellendas malas cogitationes.*

Omnipotens et mitissime Deus, respice propitius ad preces meas, et libera cor meum de malarum tentationibus cogitationum: ut sancti Spiritus dignum fieri habitaculum merear. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

---

18) *Ad postulandam continentiam.*

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine: ut Tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus. Per Dominum nostrum . . . . in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

---

19) *Pro amicis.*

Deus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus Tuorum fidelium

cordibus infudisti: da famulis et famulabus Tuis, pro quibus Tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis; ut Te tota virtute diligant, et quae Tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Dominum nostrum etc.

20) *Pro inimicis.*

Deus pacis, charitatisque amator et custos: da omnibus inimicis nostris pacem, charitatemque veram, et cunctorum eis remissionem tribue peccatorum; nosque ab eorum insidiis potenter eripe. Per Dominum nostrum etc.

21) *Pro infirmo.*

Omnipotens, sempiterne Deus, salus aeterna credentium: exaudi nos pro famulo Tuo infirmo, pro quo misericordiae Tuae imploramus auxilium; ut, reddita sibi sanitate, gratiarum Tibi in Ecclesia Tua referat actiones. Per Dominum nostrum etc.

Deus infirmitatis humanae singulare praesidium: auxilii Tui super infirmum

famulum Tuum ostende virtutem; ut ope misericordiae Tuae adjutus, Ecclesiae Tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Dominum nostrum etc.

---

22) *Pro infirmo, qui proximus est morti.*

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia et vitae aeternae munera contulisti: respice propitius famulum Tuum infirmitate corporis laborantem, et animam refove, quam creasti; ut in hora exitus illius, absque peccati macula Tibi, Creatori suo, per manus sanctorum Angelorum repraesentari mereatur. Per Dominum nostrum etc.

---

23) *Pro vivis et defunctis.*

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos Tuos fide et opere futuros esse praenoscis: Te supplices exoramus; ut, pro quibus

effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit; intercedentibus omnibus Sanctis Tuis, pietatis Tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

---

24) Oratio S. Thomae Aquinatis, qua virtutes christiani hominis petuntur.

Concede mihi, misericors Deus, quae Tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis Tui. Ordina statum meum, et quod a me requiris, ut faciam tribue, ut sciam, et da exequi sicut oportet, et expedit animae meae. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere: ut in illis non extollar, in istis non deprimar: de nullo gaudeam vel doleam,

nisi quod ducat ad Te, vel abducat a Te: nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi Tibi. Vilescant mihi Domine omnia transitoria, et cara mihi sint omnia Tua propter Te, et Tu, Deus meus, praeter omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine Te, nec aliquid cupiam, quod est extra Te. Delectet me Domine labor, qui est pro Te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine Te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad Te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine, Deus, obedientem sine contradictione; pauperem sine defectione: castum sine corruptione: patientem sine murmuratione; humilem sine fictione, et hilarem sine dissolutione; tristem sine defectione: maturum sine gravitate: agilem sine levitate: timentem sine desperatione: veracem sine duplicitate: operantem bona sine praesumptione: proximum corrigere sine elatione: ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus,

cor pervigil, quod nulla abducat a Te canosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio, da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum Te cognoscentem; diligentiam Te quaerentem: sapientiam Te invenientem: conversationem Tibi placentem: perseverantiam Te fideliter exspectantem: et fiduciam Te finaliter amplectentem: Tuis poenis configi per poenitentiam: Tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem Tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

25) *Preces pro eligendo vitae statu.*

Praemonitio,

sive Instructio practica pro deliberantibus de certo vitae statu deligendo.

«Certum vitae genus constituere, est res tanti momenti, ut totius vitae vel recte vel male traducendae fundamentum in eo sit positum.» S. Greg. Naz. Orat. 23.

Quanquam Deus omnes velit fieri salvos, adeoque singulis aliquam gratiarum seriem praeparaverit, quae, si a nulla creata voluntate turbetur, illos certe ad coelum deductura est, non tamen per eandem omnes viam, seu vitae statum deducit, sed gratias efficaces aliquibus paratas alligat ad certum statum, quem si ipsi vel defectu prudentis deliberationis non agnoscant sibi a Deo praefixum, vel agnitum amplecti nolunt, sed ad alium se transferunt, possunt in eo quidem salvari, sed quia filum divinae circa se Providentiae turbarunt, Deus illos in gravia peccata labi sinit, itaque gratia finali et aeterna beatitudine sua culpa privantur.

Hoc doceris ex illo Prov. 1. Vocavi, et renuistis ... despexistis omne consilium meum (observa: consilium). Ego quoque in interitu vestro ridebo. Hinc S. Gregorius in Epist. ad Maurit. Imper.: Sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus pos-

sunt. Videndum proinde cuique salutis suae studiose, ne in tam grave discrimen per suam incuriam se conjiciat, sed prudenter de vitae statu deliberet, ut agnoscat, qua ipse via se ad coelos deducendum sperare possit. Quod deliberandi officium praecipue litterarum Studiosis incumbit, ut qui ad plures status apti majorem dubitandi ac deliberandi rationem habent, quam alii homines, quibus a potiori statum determinat ipsa vitae et officiorum ratio. Inter ipsos autem Studiosos potissimum ii sibi cordi sumere deberent hoc negotium, qui majora a Deo acceperunt talenta, ne, si ea fortassis hoc fine data sint, ut ad lucrum animarum impendantur, tanto gravius puniantur, si iis solum ad augendas opes et honores, ac profana officia praeter voluntatem Dei abutantur. Hoc itaque tanti momenti negotium, ut rite fiat, assuesce, bone adolescens! frequenter usurpare a) pia suspiria, qualia sunt:

1) Domine, quid me vis facere?
2) Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.
3) Loquere, Domine, quia audit servus Tuus.
4) Vias Tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas Tuas edoce me.
5) Fiat, Domine, a me, in me, ac de me perfectissime in omnibus Tua sanctissima voluntas.
6) Non quod ego volo, sed quod Tu vis, o Deus hoc fiat.
7) Veni sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis Tuae radium.
8) Da, Domine, quod jubes, et jube, quod vis.
9) Domine, doce me facere voluntatem Tuam.
10) Ave maris Stella . . . . iter para tutum.
11) Angele sancte Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, in electione status illumina, rege et guberna etc.

b) Quotidie tempus aliquod tibi praefigas pro lectione pii libri, quales sunt: Thomas Kempensis, Vita Christi et Sanctorum, et alii tractantes praesertim de quatuor novissimis etc. Praeterea subinde animo ab aliis occupationibus libero et in Deum elevato, considera serio, quem tibi a Deo vitae statum designari putes. Pro his considerationibus optimum tempus est post sacram Communionem in ipso templo vel domi eadem die, aut etiam tempus vespertinum post examen conscientiae etc. Hae considerationes

c) fieri debent cum seria animi applicatione juxta cujusque capacitatem, quia in his consistit ipse actus deliberationis. Quae autem et quomodo sint perpendenda, ex aliis tibi a Confessario vel directore conscientiae tuae communicandis considerationibus disces; quas attento animo volvere et revolvere ac examinare saepius erit utilissimum. Sed ante omnia ponendum

d) solidum fundamentum bonae electionis, quod consistit in perfecta indifferentia, seu animo ita disposito, ut paratus sis, quemcunque statum amplecti, ad quem te a Deo destinari intellecturus es. Defectu hujus indifferentiae multae electiones non sunt rite factae, et hinc illae lacrymae!

Oratio ad Deum pro divina agnoscenda vocatione.

Omnipotens, aeterne Deus, qui hominem ideo creasti, ut Tuam hic adimplens voluntatem, regni coelestis coronam jugi virtutum studio acquireret, ac Tecum in aevum postmodum regnaret;

ego, qui creatura Tua sum, libens admodum ad hunc creationis meae finem pertingerem. Unde quandoquidem in sancta Tua Eccelia varia sunt bene beateque vivendi genera, quae, licet diversimode, ad coelum perducant; obsecro Te ex intimis praecordiis meis, indica mihi voluntatem Tuam, meque ad istud vitae genus evoca, in quo salvari commodius valeam, Tibique quam optime famulari. Tui namque solius muneris est, vocare, ac mortalium quemque ad certum vitae statum destinare. Amen.

Oratio ad B. Virginem.

Ad te, o stella maris, inter instabiles hujus vitae fluctus, oculos meos levo. Dirige, o pia Mater aeternae lucis, cor meum ad polum suum, Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, et deduc me ad talem vitae statum, in quo eidem Filio tuo digne serviam, et denique optatum coelestis Patriae portum obtineam. Amen.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

O mi Angele, cujus tutelae a Deo sum traditus, o Dux et Comes peregrinationis meae; adesto mihi in gravissimo hoc salutis meae negotio; ostende viam, quam eligam, ut finem meum, ad quem creatus sum, hoc est, aeternam beatitudinem consequar, et una tecum Deum meum aeternum intueri et laudare merear. Amen.

Durante deliberationis tempore saepius sacram Synaxin adi, et dic quotidie orationes sequentes:

Oratio ad Deum Patrem.

(ex libro sapientiae cap. 9.)

Da mihi, Domine, sedium Tuarum assistricem sapientiam; mitte illam de coelis sanctis Tuis, de sede magnitudinis Tuae, ut mecum sit, et mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud Te, Domine Deus: sensum enim Tuum quis sciet, nisi Tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum Tuum de altissimis.

Oratio ad Spiritum sanctum.

Veni sancte Spiritus, reple Tuorum corda fidelium, et Tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum Tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad Christum.

O Jesu amantissime! via vera ad vitam, ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum; Tu vero, aeterna Patris Sapientia, omnia nosti: quare me Tibi indifferentem sisto, et promptum offero, ut sequar Te, quocunque me vocaveris. Si me in mundo saecularem Tibi servire vis: ecce me, servus Tuus sum ego; si me Clericum in Ecclesia Tibi deservire cupis; ecce me: tantum tribue, ne a statu hoc degene-

rem vitam instituam. Si me tandem in ordine religioso Tibi per vota arctius obstrictum desideras, ecce me, paratum cor meum; tantum trahe me, et curram in odorem unguentorum Tuorum, nec daemon, nec caro, nec mundus, nec omnia quae in eo sunt, a sequela Tua me retardabunt. Id unum obsecro; vias Tuas, Domine, demonstra mihi et semitas Tuas edoce me.

Oratio ad B. Virginem.

O Maria, gratia plena et janua vitae; ego filiorum tuorum minimus, in trivio constitutus, periculorumque mihi impendentium ignarus, ad maternum sinum tuum confugio, et lumen opemque efflagito; intercede pro me apud Filium tuum dilectum, ne statui illi ex imprudentia implicer; in quo me aeternum periturum prospicit; sed ad illum me vocet, in quo salutem consecuturum praevidet. En ego in manu tua et Filii tui, sicut lutum in manu figuli, o fiam vas in honorem et non in contumeliam,

ut sequar, laudem et glorificem Filium tuum cum Sanctis in aeternum. Amen.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

O Angele mi custos! illumina me, rege quoque me, et Deum roga, ut absque errore illum vitae statum amplectar, in quo sanctius ei serviam; et altiorem perfectionis gradum conscendere valeam; quo tecum Deum clarius videam, et ardentius amem in saecula saeculorum. Amen.

Oratio quotidie dicenda post electionem status.

Deus, qui diligentibus Te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inviolabilem Tuae charitatis affectum, ut desideria de Tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari, per Christum Dominum nostrum. Amen.

26) *Oratio pro felici morte.*

O Deus meus et Dominus meus! cui ab aeterno placuit me incertum mortis meae, temporis, loci, ac modi vivere, adoro suavissimas Tuae providentiae dispositiones, quibus haec omnia circa me voluisti pro tota aeternitate ordinare. Ignorans igitur, quae tunc corporis, animaeque dispositio sit futura, amodo idipsum facio, quod tunc cuperem habere factum, humillime Te deprecando, ut accepta, rata et grata habere velis vota et desideria mea, quae coram Tua divina Majestate nunc elicio et intime protestor.

Atque ita gratias ago Tibi maximas Deus meus et Dominus meus! ex nunc et ex illo postremo, vitae meae momento, in quo forte loquela et rationis usu privatus, non potero amplius loqui, aut pios mentis affectus ad Te elevare: Tibi, inquam, gratias ago. Primo, quod me de nihilo produxeris, potens me in massa possibilitatis relinquere. Secundo, quod me feceris nasci in ista mundi

aetate et tempore christianae religionis, cum potuisses fecisse, ut nascerer in uno saeculo atque in partibus infidelium. Tertio, quod me regeneraveris per Baptismum, potens me relinquere mori in ventre matris meae, sicut pluribus aliis ante illius receptionem saepius contingit.

Adoro Te, o principium vitae meae secundum naturam! O principium meae regenerationis per gratiam! O finis ultimus animae meae, et mea interminabilis foelicitas in gloria! Tu es prima veritas, et ego credo indubitanter, quidquid dixisti; Tu es suprema fidelitas, et ego spero incessanter, quod promisisti; Tu me illuminasti purissimo Tuo lumine; Tu me sanctissima Tua praevenisti gratia; Tu me tenerrimis Tuis tetigisti instinctibus; Tu mihi praeparasti maxima Tua Sacramenta; Tu me sacro cibasti corpore Jesu Christi, unigeniti Filii Tui, Salvatoris mei, atque tam frequenter mihi contulisti gratias et dona Spiritus sancti.

O quantus amor! quanta beneficia! quantae dignationes! quantae gratiae!

quantae misericordiae huic pauperi animae a Tua benignitate collatae! huc tamen pro tot bonis et donis illi praestitis, et quorum Tu solus numerum scis, et pretium, nihil Tibi aliud per totum vitae meae tempus rependi, quam impietates, infidelitates, ingratitudines, iniquitates imo et crimina, quae superant numerum capillorum, et momenta dierum meorum! sed o, mi Domine! quo major est mihi pudor, Te offendisse, eo major Tibi gloria, mihi ignovisse: nam pro peccatis sine numero, sicut sunt mea, requiruntur miserationes infinitae, sicut sunt Tuae.

In tali fiducia, o Dominus meus et Deus meus! confugio ad istas miserationes, quae sunt infinitae, gemens et poenitens, quod Te tam saepe offenderim, tam tarde cognoverim; tam parum amaverim; nunc o Domine! si aliud temporis spatium non haberem, quam hoc solum momentum, illud impenderem in Te amando, o Bonitas suprema! quia Tu es id, quod es; et quia Tu solus mereris adorationem et indefini-

tum omnium tuarum creaturarum amorem.

Hinc ob Tui solius intuitum et respectum, o Amor aeterne! qui es semper amabilis, nec unquam satis amaberis, detestor omnia peccata vitae meae, quia sunt contraria Tuae adorabili sanctitati: et quidem ex eo motivo omnia detestor peccata mea, ex quo Dominus meus Jesus Christus in horto agonizans illa est detestatus: eodem pariter detestor motivo, quo Tu, o mi Deus, Pater, Fili et Spiritus sancte, Une in essentia et Trine in personis, illa detestaris. Pro reparatione autem contumeliae, quam Tibi meae intulerunt iniquitates, offero Tuae pientissimae Majestati omnium justorum super terram, angelorum, et omnium hominum in coelo beatorum, imo amorem illum, quo meus Salvator Jesus Christus Te amat; et amorem, quo Te ipsum, o mi Deus! ab omni aeternitate incessanter amasti, et quo durante tota aeternitate Te semper amabis.

Atque ad excipiendas has vitae meae iniquitates, tanquam reus criminis lae-

saè Majestatis, quem Tu justissime condemnasti, accepto mortem, quandocunque et quomodocunque futuram; accepto destructionem hujus corporis, quod fuit causa tot intemperantiarum, et subjectum tot peccatorum. Accepto corruptionem totius mei esse, in recognitionem supremi Dominii, quod supra me possides. Accepto omnes desolationes, omnes angustias, omnes poenas, omnes tentationes, et omnia mala (solo excepto peccato, et Tui offensa) pro satisfactione, quam Tuae adorabili Majestati facere possum.

Quoniam vero nihil amplius valeo, et possum, mi Domine et mi Deus! recordare, rogo Te, quod sim opus manuum Tuarum; Tui pretium sanguinis; victoria Tuae crucis, Tuae mortis pignus, et effectus Tui amoris. Qua propter morti Tuae unio meam, amori Tuo conjungo meum, protestando, quod non admittam aliam fidem, quam Tuae Romanae Ecclesiae; aliam spem, quam in Tuis meritis; nec alium amorem, quam Tuae bonitatis.

Si igitur quidpiam in me contrarium accidere deberet, ego illud retracto, et actum nolo; sed firmiter volo, quod ultimus motus cordis mei sit motus adorationis, qui Tibi praestet homagium mei esse, si quidem plus est Tuum, quam meum; volo iterum ut hoc totum simul sit motus amoris, qui Te amans propter Teipsum amet, atque per totam aeternitatem amando continuet Tui amorem! Verum est, o mi Deus! quod cum his omnibus multum timeam, siquidem mea crimina sunt valde magna, et Tua judicia nimis terribilia: sed pariter verum est, quod non obstante omni meo timore, plus adhuc sperem, quia Tu es misericordia, et multum peccantibus condonas. quia Tu es infinite misericors et in finem usque misereri non oblivisceris, quia Tu es totus misericors, et ipsamet misericordia, et omnia supplicibus dimittis.

Plenus hac amorosa et dulci confidentia, qua in Te feror, spero videre Tua bona in terra viventium, ubi Tu es resurrectio et vita, et postquam

denuo Tuam potentiam adoraverim, quae me creavit; Tuam bonitatem, quae me redemit; Tuam sapientiam, quae me illuminavit; Tuam providentiam, quae me gubernavit; Tuam misericordiam; quae mihi tantum condonavit; etiam adoro Tuam justitiam, et illi me totum pro momento illo subjicio, quo illa determinavit me judicare, cum tali tamen fiducia et firma spe, illi justitiae et judicio Tuo me submitto, quod Tua bonitas non me deseret, sed quod ipsamet pro me respondebit apud Tuam justitiam, et quod misericordias Tuas in aeternum contabo, Amen.

Oratio.

Ex verbis Christi morientis confecta.

O bone Jesu! qui pro mea salute in stabulo nasci dignatus es, vivere in laboribus, mori in cruce. Die Patri Tuo pro me moriente: Pater, dimitte illi. Die Matri Tuae: Mulier, ecce filius tuus! die animae meae: Hodie mecum eris in paradiso. Deus meus, ne derelinguas me! Sitio ad Te fontem vitae.

Consummatur tempus vitae meae. In manus Tuas commendo spiritum meum. Amen.

---

27) *Itinerarium.*

Anthiphona.

In viam pacis etc.

Canticum Zachariae.

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis; in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum: qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex Alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri et Filio etc.

Ant. In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus, et Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute et gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison — Christe eleison — Kyrie eleison.

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos Tuos.

℟. Deus meus, sperantes in Te.

℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Syon tuere nos.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie.
℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.
℣. Vias Tuas, Domine, demonstra nobis.
℟. Et semitas Tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viae nostrae.
℟. Ad custodiendas justificationesTuas
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad Te, stella duce



